De codicum Curtii fide atque auctoritate.

Q. Curtii Rufi historias Alexandri Magni Macedonis cum anno MDCCCLXVII Berolini ederem, in praefatione huius libri breviter exposui, quaenam ratio in Curtii historiis emendandis sequenda esset, ac significavi me postea hac de re accuratius disputaturum esse. utar igitur hac scribendi occasione, ut promissum illud exolvam.

Accidit Curtii historiis idem quod omnium fere scriptorum antiquorum libris videmus contigisse, ut, quamvis inde ab aetate renascentium litterarum ab hominibus doctis diligenter tractatae sint, tamen nostro demum saeculo certa ratione critica ad genuinam formam revocari coeptae sint. atque qui Curtii historias ab inconstanti editorum arbitrio quod olim dominari solebat vindicaret et secundum artis leges recenseret primus inventus est Carolus Timotheus Zumptius. is adiutus praeter veteres minimeque fidas conlationes Iunii, Modii, Raderi, Freinshemii aliorumque [1]) accuratiore cognitione novem codicum Florentinorum (Flor. A B C D E F G H I), duorum Bernensium (Bern. A B), trium Leidensium a Snakenburgio iam adhibitorum (Leid. Voss. 1, 2), quorum tres (Bern. A Leid. Voss. 1) saeculo X, unus (Flor. A) saec. XI, unus (Flor. B) saec. XIIII, ceteri novem saec. XV scripti sunt, primum anno MDCCCXXVI, deinde melius anno MDCCCXXXXVIIII in praefatione utriusque suae editionis codicum manu scriptorum rationem scripturaeque auctoritatem explicuit. summa autem sententiae Zumptianae erat haec: omnes Curtii codices quorum plus octoginta in Europae

---

1) quam neglegenter veteres codicum conlationes institutae sint, et omnino constat et apud Curtium quam apertissime doceri potest: debemus enim alteri editioni Zumptianae conlationem codicis Bernensis A quem nomine codicis Petri Danielis *(D)* Freinshemius quoque adhibuit (in appendice editioni Freinshemianae addita quae inscripta est *variarum in Curtium lectionum libellus)*, sed ita ut non solum saepissime scripturam discrepantem adnotare omitteret, verum etiam eius lectiones aliis codicibus aliorumque Danielis codici ascriberet. sunt sane ne Snakenburgii quidem et Zumptii conlationes admodum accurate confectae ut paulo post docebo.

bibliothecis adservantur ex uno satis recenti mendosoque libro orti sunt, id quod iam Iosephus Scaliger intellexit. nihilo minus eidem saepissime inter se discrepant atque is dissensus eius modi est, ut in duas classes codices dividi debeant, alteram integrorum, alteram interpolatorum. atque numero integrorum Zumptius ascripsit Flor. A B Bern. A Leid. Voss. 1, numero interpolatorum reliquos novem.

Hanc Zumptii opinionem inprobavit Fossius — ut omittam Walchium in actis litterariis Halensibus a. MDCCCXXVIII p. 105—144 de priore Zumptii editione disserentem, sed iam dudum explosum — qui et codices recentiores — ita vocat interpolatos — consulto depravatos et correctos esse negat et Florentinum G codicum omnium quotquot accuratius novimus longe integerrimum atque plenissimum appellat. sed hac in re Fossium errasse et alii senserunt et ipse ante hos octo annos in dissertatione quae inscribitur *quaestionum Curtianarum specimen* p. 10—19 fusius exposui: quae hic repetere et longum est neque necessarium. Rectius ab Ieepio (in censura alterius editionis Zumptianae ap. Muetzell. annal. gymnasiorum usui destinat. a. MDCCCL p. 54) dubitatum est, utrum Florentinus B codicum integrorum familiae ascribendus esset necne: manifesta enim interpolationis indicia in eo adparere eumque ex codice Bernensi A descriptum esse in diss. p. 20—30 demonstravi. quod autem Ieepius (l. l.) etiam codicis Vossiani primi integritatem in dubium vocavit, hac in re lapsus est propter infidam Snakenburgii conlationem. eximia enim benivolentia Pluygersii, doctissimi bibliothecae Leidensis praefecti, mihi contigit, ut et hunc codicem et Leidensem Servestam transmissos conferre possem. qua conlatione instituta facile intellexi Zumptium recte hunc codicem optimis ascripsisse. nam loci illi ab Ieepio adlati minimi sunt momenti, cum Snakenburgius ne uno quidem veram scripturam exhibuerit. atque undeviginti locis (III, 13, 11. IIII, 3, 24. 4, 9. 6, 7. 10, 3. 4. 12, 6. 16, 28. V, 1, 38. 6, 3. 11, 10. VII, 2, 15. 5, 14. 30. 7, 8. VIII, 1, 41. VIIII, 1, 7. 15. 18.[2]) Vossianus primus cum codicibus optimis rem facit: uno vero loco (IIII, 10, 3) nunc dici nequit, utrum codices integros an interpolatos secutus sit, cum fol. XXVIII fere totum evolsum sit; altero (VII, 2, 37) ubi codices optimi exhibent *contumeliis*, interpolati *contumelia*, in *V* extat *contumelias*, qua in lectione nulla interpolatio adgnosci potest; tertio denique (III, 12, 1) Ieepius cum Zumptio *Pal. 1* et *Voss. 1* sigla inter se confundente erravit. neque magis alii loci quos Ieepius adnotare omisit valent. Ita IIII, 1, 22 Snakenburgius in adnotatione uberius exposuit *V* pro *aeternisque* distincte exhibere *terrenisque* eamque lectionem probandam esse, sed *V* cum codicibus optimis habet *aeternisque*, cui saec. XV suprascriptum est *consuetis*. item III, 6, 31 in *V* non extat *domitarumque*, sed ut in ceteris codicibus *devictarumque*. porro III, 10, 6 *V* cum codd. opt. exhibet *adversis dis* non *adversus deos*. atque omnino ii loci quibus *V* a codicibus

---

2) non utor Zumptiana numerandi ratione, qua nihil proficiamus, sed vulgata. praeterea moneo me in designandis codicibus Bernensi A (no. CCCCLI), Florentino A (plut. LXIIII. cod. XXXV), Leidensi (no. CXXXVII), Parisino (no. VMDCCXVI), Vossiano (Q. XX) litteris *B F L P V* uti.

optimis recedit atque rem cum interpolatis facit et pauci sunt et eius modi quales in omnibus codicibus inveniuntur. recte igitur hic codex optimis ascribitur[3]).

Potuit etiam de integritate codicis Leidensis dubitari, quoniam in indicanda huius codicis varietate Snakenburgius item multa omisit vel false adnotavit. quae Snakenburgii neglegentia ut cognosci possit, iam pauca adferam exempla. ac primum codex Leidensis non omittit III, 2, 17 *etiam* ante *naturam*, III, 2, 18 *tam* ante *subito*, III, 3, 23 *et*, III, 3, 17 *debita*, IIII, 1, 2 *rex*,

---

3) quamquam externam huius codicis formam iam in diss. p. 33 sq. accurate descripsi, tamen haud alienum ab hac commentatione videtur esse hic ea quae ibi dixi breviter repetere. adservatur hic codex membranaceus Isaaci Vossii quondam nunc in bibliotheca Leidensi inter codices latinos Vossianos formae quadratae numero XX signatus: constat autem tribus partibus inter se dissimillimis, quas iam saeculo XIIII coniunctas fuisse docent quae scripta sunt fol. IIII *r*. in margine inferiore a manu saec. XIIII: *in hoc libello continentur liber de regibus assiriorum et captivitate troie et inicio romanorum. hystoria curti rufi plures continens libros quorum tertius est primus. liber esopi cuiusdam greci fabulatoris de ortu et actu et fine alexandri magni macedonis. opuscula de libro hystoriarum horosii excerpta et in unum breviarium collecta.* atque prima pars constat octo schedis saec. XII scriptis quarum pagina unaquaeque bipartita in singulis laterculis versus XXVI habet continetque fol. I *r*. CAPITULA CHRONICI HIERONIMI, quorum tamen omnia fere ita evanuerunt, ut nunc nihil fere dignosci possit nisi ipsa inscriptio et *abraham* et *moyses* nomina. fol. I *vs*. LIBER DE REGIBUS ASSIRIORUM ET CAPTIVITATE TROIE ET INICIO ROMANORUM. fol. II *vs*. HISTORIA DARETIS FRIGII DE ORIGINE FRANCORUM. V, sed in fine fol. VIII *vs*. oratio in media periodo desinit his verbis *theoderico velociter*. tum secuntur fol. VIIII *r*. usque ad fol. CI *vs*. CURTI RUFI HISTORIARUM LIBRI saec. X scripti. tertia denique pars paulo antiquior (saec. VIIII) XLII schedis continet haec: fol. CII *r*. LIBER ESOPI CUIUSDAM GRECI FABULATORIS PROSAICO AEDITUS STILO DE ORTU ACTUUE AC FINE ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS (i. e. Iulii Valerii epitome quam nuper publici iuris fecit I. Zacher hoc ipso codice usus, cf. praef. p. 5). fol. CXVI *r*. ALEXANDRI REGIS MACEDONUM ET DINDIMI REGIS BRAGMANORŪ DE PHYLOSOPHYA PER LITTERAS FACTA COLLACIO. fol. CXXI *vs*. AEPISTOLA ALEXANDRI MAGNI AD ARISTOTELEM MAGISTRUM SUUM DE ITINERE VEL DE SITU INDIE. fol. CXXVIIII *vs*. OPUSCOLA DE LIBRO HISTORIARUM OROSII EXCERPTA ET IN UNUM BREVIARIUM COLLECTA. fol. CXLI *r*. CHRONICA ISIDORI DE ANTIQT̄. altera igitur pars quae Curtii historias continet saec. X scripta ab uno fere librario — quamquam enim multis locis aliorum librariorum ductus dignosci possunt, tamen hi quotienscumque paucos versus scripserunt — ab initio XCIV schedis sive undecim quaternionibus et uno ternione constabat, sed ultima periit, unde factum est ut codex nunc in verbis X, 10, 13 *adtrectare eum* desinat atque ea scheda quae cum evolsa cohaerebat — est autem prima fasciculi ultimi cuius pagina versa tota vacua est post verba Curtii X, 3, 14 *quae sub eodem rege victuri sunt* ubi maior lacuna extat — non suo ternioni sed quaternioni undecimo adfixa sit ab eo qui schedas in unum volumen coniunxit. praeterea fol. XXVIII maxima et fol. X dimidia pars evolsa est. versus autem paginarum usque ad fol. XXXXII *vs*. sunt triceni terni, inde usque ad finem triceni bini. hic liber eo ipso quo scriptus est tempore ab altero librario correctus est qui verba litterasque omissa vel in margine vel intra versus supplevit atque insigniores quosdam calami lapsus emendavit

III, 1, 13 *et*, V, 2, 7 *observatur*, V, 3, 9 *ut*, VI, 4, 11 *quae* ante *optasset*, VI, 5, 6 *quoque*, VI, 9, 28 *neminem* ante *coniugem*, VI, 9, 31 *reo*, VI, 11, 8 *esse* post *discerpendum*, VIII, 8, 2 *equi* post *quadriiugi*, VIII, 8. 17 *erat* ante *Sambi*. deinde codex exhibet III, 1 19 *Choumque* non *Coonque*, III, 1, 23 *Persis quidem* non *quidem Persis*, III, 2, 1 *curam* non *caras*, III, 2, 5 *Barcanorum* non *Bactrianorum*, III, 3, 3 *Alexander* non *Alexandrum*, III, 4, 3 *quid initio* non *quid in initio*, III, 9, 7 *nihil* non *nil*, III, 11, 7 *opimum* non *primum*, III, 12, 16 *habitu praestabat* non *praestabat habitu*, IIII, 1, 6 *tum* non *tamen*, IIII, 1, 23 *commitantibus* non *comitibus*, IIII, 3, 14 *classis moenia circumibat* non *moenia circumibat classi*, IIII, 5, 18 *XII* non *XXX*, IIII, 7, 18 *cognomen* non *nomen*, IIII, 15, 17 *quidem arma* non *arma quidem*, V, 9, 10 *vincturi* non *victi*, VI, 4, 25 *Manapi* non *Menanapi*, VI, 6, 17 *ratio* non *horatio*, VI, 6, 25 *occupaver̄* (= runt) non *occupavere*, VI, 7, 31 *Philotan* non *Philotreum*, VII, 1, 11, *hi carissimi* non *carissimi hi*, VII, 2, 24 *mutuata* non *mutuataque*, VII, 3, 4 *DC* non *VI*, VII, 4, 9, *utilius esse* non *esse utilius*, VII, 7, 4 *quae et* non *quaeque et*, VII, 7, 8 *regere spectare*, non *rege exspectare*, VII, 7, 25 *sepius* non *qui saepius*, VII, 8, 26 *non sua* non *sua non*, VII, 11, 24 *ait milites* non *milites ait*, VIII, 1, 8 *choras praeierat* non *choras ei praeierat*, VIII, 1, 21 *soror ei;* (= eius) non *soror ei*, VIII, 8, 13 *eorum* non *tamen*, VIII, 12, 2 *funditores* non *fere funditores*, VIIII, 1, 32 *occupaverunt* non *occupavere*, VIIII, 2, 12 *posent* non *poterit*, VIIII, 7, 24 *aures regis* non *regis aures*, X, 1, 36 *est traditus* non *traditus est*, X, 1, 19 *ingentarumque* non *et ingentarumque*, X, 3, 10 *hoc ergo non nunc* non *hoc ergo nunc*. maxime autem erravit Snakenburgius aliquot locis, quibus non eam lectionem quae a prima manu extabat enotavit, sed quam manus saec. XIIII vel XV sive corrigendo sive radendo effecit. cuius rei exempla sunt: III, 4, 2 a pr. m. extabat *stadia*, a m. rec. immutatum est *stadiis*, III, 8, 12 a pr. m. *agmen*, a m. rec. *agmine*, III, 11, 26 a pr. m. *in utroque*, a m. rec. *an utroque in*, IIII, 5, 7 a m. pr. *in utro*, a m. rec. *an in utro*, IIII, 6, 28 a pr. m. *num-num*, a m. rec. *non-non*, IIII, 7, 4 a pr. m. *Darei*, a m. rec. *a Dario*, IIII, 7, 22 a pr. m. videtur fuisse *quoque* [XXXq;], a m. rec. *cum*, IIII, 7, 24 a pr. m. videtur fuisse *responsum* [respons XX], a m. rec. *responso*, IIII, 9, 24 a pr.

---

eodem illo codice antiquissimo usus (de correctoribus cf. L. Delisle, recherches sur l'ancienne bibliothèque de Corbie, Mémoires de l'acad. des inscr. et belles-lett. tom. XXIV p. 266 sq.). praeterea saec. XV homo quidam doctus aliquot locis explicationes insolentiorum vocabulorum locutionumque supra versum ascripsit orationemque commatibus aliisque signis distinxit: nam qui codicem exaravit tantum puncto interrogationisque signo usus est. liber quintus cum sexto — id quod in omnibus codicibus factum esse observamus — coniunctus est, ita ut nullo spatio vacuo interiecto *semivivi pugne discrimen* verba sese excipiant, sed in margine a correctore ascriptum est *hinc deest*. qua tamen re libros numerandi ratio non turbatur, cum in subscriptione huius libri recte extet CURTI RUFI HISTORIAR. LIB. VI. EXPLICIT. INCIPIT LIBER SEPTIMUS. item aliquot locis libri decimi lacunosus est. primus autem hunc codicem contulit Snakenburgius, iterum ipse auctumno anni MDCCCLXII.

m. *hostium*, a m. rec. *hostium fugavit*, III, 10, 1 a pr. m. *iussit*, a m. rec. *iter iussit*, III, 12, 6 a pr. m. *adventus hostium nuntius*, a m. rec. *adventum hostium nuntians*, III, 13, 4 a pr. m. *linguis*, a m. rec. *linguisve*, III, 15, 11 a pr. m. *sedit*, a m. rec. *sed stetit*, VIII, 6, 9 a pr. m. *legerunt*, a m. rec. *elegerunt*, VIII, 6, 10 a pr. m. *consilii impedirentur*, a m. rec. *consilium impediretur*, VIII, 8, 8 a pr. m. *clementia*, a m. rec. *clementiam*, VIII, 12 9 *imperium res*, a m. rec. *imperii res*, VIIII, 2, 7 a pr. m. *interfecto*, a m. rec. *interfectoque*, VIIII, 2, 20 a pr. m. *declinari*, a m. rec. *scimus declinari*, VIIII, 2, 25 a pr. m. *nec mei*, a m. rec. *nec meorum*, VIIII, 4, 4 a pr. m. *excensione*, a. m. rec. *excessione*, VIIII, 4, 19 a pr. m. *laboremque*, a m. rec. *laborisque*, VIIII, 5, 12 a pr. m. *iam*, a m. rec. *iamne*, VIIII, 6, 26 a pr. m. *mater*, a m. rec. *mater mea*, VIIII, 7, 2 a pr. m. *occupata*, a m. rec. *occupant*, VIIII, 7, 22 a pr. m. *arietavit*, a m. rec. *arietavit eum*, VIIII, 5, 16 a pr. m. *rederes*, a m. rec. *videres*. patet igitur hunc codicem ubique cum optimis conspirare recteque his ascribi, eos autem vehementer errare qui falsis his lectionibus maximeque additamentis librarii recentis nisi Curtii verba emendare conentur [4]).

Atque in conferendo codice Bernensi A quoque saepius ab Adalberto Iahnio a quo conlatio Zumptiana facta est erratum esse multis exemplis docuit Arnoldus Hugius in libello qui inscribitur *Beiträge zur Kritik lateinischer Prosaiker* ipseque vidi cum feriis aestivis anni MDCCCLXVIII Bernae totum codicem conferrem [5]).

---

4) codex Leidensis, qui inter codices latinos formae quadratae centesimus trigesimus septimus est in pergamenis saeculo decimo non ab uno librario, sed a quattuor — praeter octo, si recte observavi, alios qui paucos versus scripserunt — scriptus eodemque tempore a correctore emendatus est. saeculo deinde XIIII vel XV nescio quis verba tralaticia emendare conatus aliquot locos et radendo et corrigendo ita inmutavit, ut nunc dignosci nequeat, quid a prima manu scriptum fuerit. praeterea dolendum est, quod codex nunc lacer CXXXII tantum schedis per quaterniones conplicatis quarum unaquaeque pagina undetricenos versus uno tenore scriptos continet praeter fol. LV et LVI quae duodetricenos habent constat: erant ab initio XVII quaterniones, sed ultimi quaternionis — ni erat ternio — quattuor folia perierunt, unde factum est, ut codex in Curtii verbis X, 10, 16 *dumtaxat patientem* desinat. perperam enim catalogus bibliothecae publicae Lugduno-Batavae qui anno MDCCXVI prodiit p. 331a refert codicem desinere in verbis X, 9, 14 *subducerent copias, quippe pro equitibus planicies:* error inde ortus est, quod is qui codicem conpegit ultimum folium ante tria priora folia posuit. ut in codice Vossiano in Leidensi et liber quintus cum sexto coniunctus est librorum numerandorum ratione non turbata et liber decimus compluribus locis hiat. hunc quoque codicem primus excussit Snakenburgius, ipse eum inspexi aestate anni MDCCCLXIIII.

5) de externa huius codicis condicione quoniam post Sinnerum Hugius in libello quem supra nominavi quam accuratissime dixit, paucis verbis rem conficere possum. conplectitur autem codex qui olim Petri Danielis Aurelianensis, deinde Iacobi Bongarsii erat et nunc in bibliotheca publica urbis Bernae numero CCCCLI distinctus adservatur CXXXXVI foliis quaternariis pergamenis tria opuscula quae tamen omnia saecula decimo videntur scripta esse: insunt enim fol. I—VIII *vs.* epistulae aliquot de

Neque melior sors contigit codici Florentino A., ita ut Ulricus Koehler in dissertatione Mus. Rhen. XVIIII p. 484 inserta demonstrare studeret hunc codicem esse ex interpolatis, qua in re ei — id quod miror — Arnoldus Hugius (Mus. Rhen. XX p. 127) adsensus est, sed egregie falsi sunt. non desunt sane secundum conlationem Zumptianam loci qui iustam interpolationis movent suspicionem, at tamen crebra dissensio quae inter conlationem huius codicis a Nicolao Heinsio institutam quam Snakenburgius edidit et Furianam qua Zumptius utebatur intercedit a tam severo iudicio revocare debebat. accedit quod aliquot locis ipse Zumptius de fide conlationis suae dubitavit (cf. imprimis adnot. ad VIII, 4 (15) 17). atque insigni humanitate Theodori Mommseni factum est, ut omnem interpolationis dubitationem tollere possim. eo enim intercedente Guilelmus Studemundus et Hugo Hinckius locos dubios iterum inspexerunt meque certiorem fecerunt codicem octo locis ex decem quos Koehler protulit cum reliquis codicibus optimis consentire: III, 5, 8 codex Florentinus exhibet *imperio* non *imperio suo*, V, 3, 20 *convulsa* non *correpta et convulsa*, VI, 4, 10 *insidiantem* non *insidiantem sibi*, VI, 4, 18 *colorem* non *color est* — rectius hunc locum hic omnino

---

iure episcoporum — est quaternio prorsus diversi codicis —, deinde fol. VIIII — CXXXXIIII Q. Curtii Rufi qui supersunt libri octo, denique fol. 144 *vs.* — 146 tractatus quidam geographici: ADNOTATIO PROVINCIARŪ ATQ. URBIŪ GALLICANARUM CŪ PRIVILEGIIS SUIS; NOMINA OMNIŪ PROVINCIARUM (i. e. libellus qui dicitur provinciarum); NOTITIA LOCORŪ URBIS ROME. atque quae schedae Q. Curtii Rufi historias conplectuntur CXXXVI vel rectius CXXXIIII — desunt enim nunc post Curtii verba X, 3, 14 *qui sub eodem rege victuri sunt* fol. CXXXV et CXXXVI quae tamen vacua relicta fuisse videntur, quoniam et dimidia pars fol. CXXXIIII *vs.* vacua est et fol. CXXXVII incipit verbis X, 4, 1 *Quousque, inquit, animo* — binis columnis quarum una quaeque vicenos ternos versus continet saec. X ab uno librario francicis characteribus magna elegantia paucisque conpendiis exaratae sunt. sed praeter librarium qui totum scripsit tres fere aliae manus in libro conspiciuntur. harum prima et antiquissima, quae in relegendis Curtii verbis eodem exemplari ex quo Bernensis descriptus est utebatur et complures errores correxit et aliquot locis notas in margine addidit. Hugius (l. l. p. 5) quidem putat has adnotationes marginales ingenio correctoris deberi, sed hac in re eum errasse inde intellegitur, quod easdem notas in reliquis codicibus optimis additas invenimus. iam autem correcturas eiusdem manus ad archetypon recte referemus earumque in Curtii verbis emendandis rationem habebimus. reliquae manus emendatrices verba a primo librario exarata magis corruperunt quam correxerunt, maxime quod radendo et immutando effecerunt, ut haud paucis locis, quid prima manus scripserit, dispici nequeat. in hoc quoque codice liber quintus cum sexto coniungitur (sed libri recte numerantur) et inscriptio deest: nam recte Hugius docuit inscriptionem quam Zumptius in adnotatione adfert *quinti curtii rufi de gestis alexādri magni regis macedōn lib̄ II incip̄* a manu saec. XV additam esse. qui autem hoc codice ad emendandas Curtii historias usi sint multi nominandi sunt: primus Freinshemius conlatione a Daniele confecta usus, deinde Io. Casp. Orellius qui codicem ipsum inspexit (cf. Seebod. et Iahn. nov. annal. philolog. et paedagog. a. MDCCCXXXI vol. II p. 45 sq.). ab Orellio admonitus Zumptius in cuius usum Adalbertus Iahnius codicem contulit, post hunc quem supra memoravi Arnoldus Hugius qui ipse totum codicem excussit.

non adferri concedent qui codices manuscriptos ipsi inspexerunt, cum in eis discrimen notarum quae *em* et *et* significant valde exiguum sit —, VI, 6, 10 *quo tante more* non *quoque tantae more*, VI, 7, 23 *quid index* non *quid ei index*, VII, 2, 12 *eluderetur* non *eluderet*, X, 2, 3 *litterae redduntur* non *litterae ei redduntur:* nonus (VII, 1, 26) autem omnino non erat adhibendus, quoniam hic in eo codice ex quo *B F L V* descripti sunt duplex lectio extabat, unde factum est, ut librarii horum codicum modo hanc modo illam in textum quem vocant reciperent, alteram in margine adnotarent: uno autem loco, VIII, 10, 16, quo in codice Florentino *in homines serpentes*, in reliquis libris integrae familiae *(B L V) in homines serpente* extat scribendumque est ex emendatione Lucae Robiae qui editionem luntinam priorem curavit — id quod moneo propter Zumptium qui hanc coniecturam ut saepius falso Aldino editori ascripsit — non probatur codicem esse interpolatum. neque loci ab Hugio adlati (l. l.) multum valent: nam VI, 11, 40 ab initio scriptum erat *neque etiam*, sed a correctore restitutum est *etiam neque*, VI, 7, 3 duplex scriptura in archetypo videtur fuisse, nam etiam in *L V* ab initio *texit* scriptum erat, sed corrector immutavit *texisset*, quam formam *F* exhibet: reliqui VI, 5, 6 *et inopensibus* pro *est inopensibus* et VI, 11, 35 *eodem et prius* pro *eodem et rius* leviores sunt quam qui integritatem codicis labefactare possint. eis autem locis qui hic adferri poterant VII, 8, 25 *(fama fert* non *fama est)*, VIII, 5, 5 *(maturum* non *maturum ratus)*, VIIII, 4, 7 *(extinguebant* non *defendebant)*, 8, 19 *(verterunt* non *vertunt)*, 9, 8 *(reverabatur* non *reverberabatur)* codex Florentinus non a familia sua recedit. quae cum ita sint, recte cum N. Heinsio, I. F. Gronovio, Zumptio hunc codicem ascribemus optimis [6]). infida

---

6) codex Florentinus A qui est in bibliotheca Laurentiana plutei LXIIII codex XXXV in membranis formae quadratae paginis quadragenorum octonorum versuum bifariam divisis saeculo undecimo litteris longobardicis eleganter ab uno librario scriptus est. constat nunc CXXIIII schedis, sed ab initio CXXXII fuisse inde adparet, quod nunc primus quaternio deficit, ita ut codex verbis Curtii III, 10, 6 *vix gladio futurum opus* incipiat. ultimi autem versus libri decimi vetustate ita obsoleverunt, ut praeter subscriptionem nihil fere legi possit. liber quintus et sextus coniunguntur, nihilo minus in fine libri recte numeratur EXPLT LIBER SEXTUS Q. CURTI RUFI HISTORIARUM VII INCIPIT. inter folia CXV et CXVI quae ad supplendam lacunam vacuae supererant antiqua manu carmen Francicum in laudem Alexandri Magni interpositum est quod his verbis incipit: *Dit Salomon al premier pas Quant de son libre mot lo clas Est vanitatum vanitas* (totum carmen edidit anno MDCCCLVI Berolini F. Heyse in libro qui inscribitur *Romanische Jnedita)*. huic quoque codici contigit, ut ad ipsum exemplar ex quo descriptus est emendaretur notaeque marginales adderentur. praeterea manus recentior vel ex alio codice vel coniectando saepius scripturam immutavit. hic codex ter quod sciam conlatus est totus: primum a Nicolao Heinsio *ad marginem editionis Venetae minori forma*, quae conlatio deinde ad Ioannem Fredericum Gronovium qui cum in adnotationibus ad alios scriptores tum in observationum libris quattuor saepius eam commemorat et ad Petrum Burmannum patrem a quo Snakenburgio tunc editionem paranti adhibenda concessa est pervenit. iterum codicem contulit anno MDCCXXX Antonius Franciscus Gorius Florentinus in usum d'Orvillii: quo viro mortuo

autem conlatione Furiana factum est, ut Zumptius de scriptura codicis Florentini deceptus erraverit ac reliquorum codicum integrorum lectiones spreverit. his locis iam hac occasione genuinam formam restituam. III, 11, 15 Zumptius codicem Florentinum ut putat secutus *laminarum* scripsit: at *F* cum ceteris eiusdem familiae codicibus exhibet *lamnarum*, quae forma recipienda erat. saepissime enim ea aeque ac tertia *lammina* (de qua cf. Lachmann. ad Lucret. III, 1017 p. 205) in codicibus recentioribus itemque in editionibus vulgari *lamina* depulsa est. *lamna* ex melioribus codicibus restituta est adhuc quod sciam his locis: Liv. XXIII, 19, 18. Vitruv. VII, 9, 5. Hor. carm. II, 2, 2. ep. I, 15, 36. Valer. Flacc. I, 123. Plin. nat. hist. XI, 37, 126. XVI, 16, 68. XXXIII, 9, 45. XXXIIII, 8, 20. 18, 50 Dig. XXXIIII, 2, 27. glossar. ex cod. Amploniano ab Oehlero Halensi (in Iahn. ann. nov. p. 237—257, 325—387) edit. p. 360 no. 112: restitui debebat etiam Cic. de leg. II, 23, 58 secundum cod. opt. Leidensem Vossianum no. 84 et excerpt. ex Charis. art. gramm. (apud Keil. gramm. lat. I, p. 553, 5) ubi nunc editur: *lanna: λοβὸς ὠτίου. lammina* invenitur Plaut. Asin. III, 2, 4. Verg. georg. I, 143. Ov. met. XI, 124. fast. I, 208. Liv. XXXXI, 20, 9. Valer. Max. III, 3 ext. 5. Tac. hist. I, 79. Fronton. epist. de orat. p. 157, 11 ed. Naber. Apulei. met. III, 17. XI, 4. Arnob. VI p. 201. Prud. *περὶ στεφ.* 5, 62. Quintil. decl. 18, 11 (ut docet corrupta codicum Leid. 2, Voss. 1 et 2, Colbert. lectio *iam minas*). in Curtii libris in quibus haec vox tribus locis invenitur tres formae occurrunt: *lamna* h. l., *lammina* IIII, 9, 3, *lamina* VIII, 5, 4. IIII, 1, 24 Zumptius edidit *ditissimus*, sed *divitissimus* (cf. Neuii art. gramm. ling. lat. II, p. 73) restituendum est ex *F L V* (in *B* legitur *diutissimus*), quae forma etiam X, 2, 11 secundum codices optimos Curtio reddenda est. IIII, 5, 8 Zumptius propter auctoritatem codicis Florentini servavit: *sed Persepolim, caput eius, Bactra deinde et Ecbatana ultimique Orientis oram imperio suo destinasse*, sed cum in *F* ut in reliquis codicibus optimis *suo* vox omittatur, haec delenda est. IIII, 6, 31 et vulgo et apud Zumptium haec leguntur: *namque etiam secundis atterebantur copiae devictarumque gentium militi minor quam domestico fides habebatur*, codices autem *B F L V* post *atterebantur* addunt *tamen*, quae vox in textum recipienda erat: recte enim hic ut saepius nulla concedendi particula praegressa *tamen* usurpatur, cum in verbis quae praecedunt *etiam secundis* sententia concessiva lateat: *quamquam res secundae erant, tamen copiae atterebantur*. eiusdem usus exempla apud Curtium inveniuntur haec: VI, 3, 7 *adeo etiam illa sensus omnis expertia tamen sua lege mitescunt*. VII, 8, 28 *etiam in pace belli tamen iura servantur*. VIII, 6, 19 *quod etiam aliis*

---

haec conlatio cum reliquis codicibusque manu scriptis Oxoniam perlata est, ubi nunc in bibliotheca Bodleiana hoc signo X. 1. 6, 14 distincta adservatur (cf. *Codices manuscripti et impressi cum notis manu scriptis olim D'Orvilliani qui in Bibliotheca Bodleiana apud Oxonienses adservantur. Oxon.* MDCCCVI). tertio codex excussus est a Francisco de Furia, bibliothecae Laurentianae praefecto, quo apographo Zumptius usus est. potuit etiam de quarta conlatione cogitari: Wakefieldus enim et in silva critica et in editione Lucretii aliquotiens Curtii codicis Florentini conlationem Bentleianam penes se esse dicit. sed magis mihi veri simile fit hanc conlationem originem trahere sive Burmanno intercedente ex Heinsiana, sive d'Orvillio intercedente ex Goriana.

tradita vice tamen excubare perseverassent. VIII, 11, 24 *rex locorum magis quam hostium victor tamen magnae victoriae speciem sacrificiis et cultu deum fecit.* VIII, 12, 6 *permissoque, ut regnaret, non tamen ius datum usurpare sustinuit.* X, 2, 11 *adeo ille exercitus, tot divitissimarum gentium victor, plus tamen victoriae quam praedae deportavit ex Asia.* similiter *tamen* additur praegresso participio cui vis concessiva inest. Curtius ita loquitur: IIII, 1, 30 *qui territi tamen spem retinendi Aegyptum non omiserunt.* IIII, 6, 5 *ceterum Alexander, quam regionem Dareus petissit, omni cura vestigans tamen explorare non poterat more quodam Persarum arcana regum mira celantium fide.* V, 3, 8 *multis ergo vulneribus depulsi, ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimicandum esset, subibant tamen.* V, 4, 31 *undique ergo Macedonum armis fulgentibus ancipiti malo oppressi memorabile tamen proelium edunt.* V, 6, 12 *multis imbribus et prope intolerabili tempestate vexatus procedere tamen quo intenderat perseveravit.* VIII, 8, 2 *confessum enim ultimum facinus tamen non solum ipse audivi, sed ut vos audiretis expressi.* VIII, 8, 6 *rursus convictum per biennium tamen distuli, donec vos postularetis, ut tandem debito supplicio scelus lueret.* VIIII, 4, 14 *quibus tandem navis erepta non tamen ripae adplicatur, sed in proximum vadum inliditur.* VIIII, 5, 17 *Peucestes quoque tribus iaculis confossus non se tamen scuto, sed regem tuebatur.* apud scriptores argenteae latinitatis eius modi participiis aliquotiens particulae concessivae *quamquam, quamvis, etsi* adduntur (cf. Ernest. in clav. Cicer. s. v. *tamen*, Hofmann. ad Cic. ep. ad Att. I, 16, 2 p. 31. Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 25, 1. Draeger. ad Tac. ann. I, 24). V, 3, 20 Zumptius vulgatam lectionem probavit: *ea ipsa multorum simul manibus correpta et convulsa in eos qui commoverant recidebant:* sed codices optimi *B F L V correpta et* verba deleri iubent. item VI, 4, 10 Zumptius retinuit: *Dareum quoque, cum occidisset Bagoan, hac excusatione satisfecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset,* sed *sibi* damnant *B F L V.* porro VI, 7, 23 ubi Zumptius edidit: *ille Cebalino in armamentario abscondito protinus regi corpus forte curanti, quid ei index detulisset, ostendit* codicibus *F V L* iubentibus *ei* abiciendum erat; quod in *B* a pr. m. legitur *quide index* nihil est nisi error eius qui codicem exaravit. VII, 4, 39 ex *B F L V* restituenda est forma contracta *cognossent* pro *cognovissent,* qua Curtius etiam X, 3, 4 utitur. paulo post VII, 5, 1 a Zumptio vulgata lectio retinetur: *igitur Bactrianorum regione Artabazo tradito sarcinas et inpedimenta ibi cum praesidio reliquit,* sed *B F L V* poscunt *relinquit,* quod tempus optime h. l. quadrat, cum *intrat* sequatur. eodem capite Zumptius vulgatam lectionem secutus edidit: *illi promptius adeunt quam rogabantur,* sed *B F L V* pro *adeunt* exhibent *addunt,* unde Ieepius (in Muetzell. annall. schol. vol. IIII p. 67) optime restituit *adnuunt.* VII, 7, 15 pro *si paululum* secundum codices *B F L V* scribendum est *si paulum.* VII, 8, 25 Zumptius vulgatam lectionem exprimendam curavit: *nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus et pinnas tantum habet; cum manus porrigit, pinnas quoque conprehendere non sinit,* sed cum in *F* ut in *B L V* verba *non sinit* desint, Ieepius (in Iahn. annall. vol. LXVI p. 41) recte videtur coniecisse

pinnas quoque conprehende. paucis versibus interiectis (§ 30) propter consensum codicum optimorum *B F L V fama fert* scribendum est, non *fama est.* eidem codices VIII, 2, 9 exhibent *dexteram* non *dextram.* VIII, 4, 1 inde a Freinshemio editur: *his conpositis tertio mense ex hibernis movit exercitum regionem quae Gabaza appellatur aditurus,* quam lectionem Zumptius auctoritate codicum Florentinorum defendit, sed et *F* et *B L V* pro *Gabaza* scribunt *Gazaba,* quae forma, cum utrumque nomen ceteris historicis et geographis ignotum sit, recipienda est. VIII, 6, 26 et vulgo et a Zumptio scribitur: *mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur, quandocumque excesserit vita:* at et hoc loco et X, 8, 10 *(destitutos se inter infestas indomitasque gentes, expetituras tot suarum cladium poenas, quandocumque oblata esset occasio)* codicibus optimis iubentibus pro *quandocumque* corrigendum est *quandoque,* qui usus vocis *quandoque* a Curtii stilo non abhorret, cum inde a Livii aetate ex imitatione antiquissimorum scriptorum *quandoque* pro *quandocumque* usurpetur (cf. Madvig. ad Cic. de fin. p. 833, Drakenborch. ad Liv. I, 31, 4; quod Muetzellius ad Curt. X, 6, 9 p. 911 dicit longiori formae maiorem vim inesse, ineptum est, nullo enim discrimine *quandoque* et *quandocumque* ponuntur). in Curtii libris *quandoque* hac significatione invenitur his locis: VII, 10, 9 *vitam quam acciperent pignori futuram esse dixerunt: reddituros quandoque repetisset.* X, 6, 9 *sextus mensis est ex quo Roxane praegnans est: optamus, ut marem enitatur: eius regnum dis adprobantibus futurum, quandoque adoleverit.* X, 6, 21 *nec vero interest Roxanes filium, quandoque genitus erit, an Perdiccan regem habeatis.* X, 2, 3 Zumptius vulgatam lectionem retinuit: *quod consilium cum clam agitat, litterae ei redduntur,* sed *ei* quod codices optimi non adgnoscunt delendum est. X, 7, 5 Zumptius ratus in codicibus optimis haec legi: *haud ambigue in iuvenem cui regnum destinabatur inpense probra quae obiecerat magis ipsi odium quam arithdeo contemptum attulerunt* edidit: *haud ambigue in iuvenem cui regnum destinabatur inpensa probra magis ipsi odium quam Arrhidaeo contemptum attulerunt:* sed cum codices *in* praepositionem omittant, videtur scribendum esse: *haud ambigue iuvenem cui regnum destinabatur inpetiit, sed probra quae obiecerat magis ipsi odium quam Arrhidaeo contemptum attulerunt.*

His expositis non difficile est intellectu, quae ratio in emendandis Curtii verbis huc usque sequenda fuerit: apertum enim est ad codicis archetypi scripturam — quoniam haec ante omnia investiganda est — perveniri instituta conparatione quattuor codicum qui interpolatione carent: Bernensis A, Florentini A, Leidensis, Vossiani primi. id exemplar quod libro primo et secundo carebat atque in fine libri quinti initioque libri sexti et sub finem libri decimi lacunosum erat saec. VIII vel VIIII litteris minusculis quas vocant grammatici carolingicis exaratum fuisse videtur habebatque in margine vel intra versus [7]) notas quae vel argumentum indicarent vel verba quaedam insolentiora explicarent

7) quaedam non in margine sed intra versus suprascripta fuisse intellegitur ex eo, quod aliquot locis additamenta in ipsa scriptoris verba adsumpta sunt, id quod maxime valet de eis locis quibus de lectione tralaticia dubitabatur ac duplexscriptura extabat.

vel varias scripturas exhiberent. cuius rei pauca exempla adferam: ad VI, 2, 1 adnotatur in margine: *vitiis Alexandrum victum esse quem arma non vicerant*, ad VI, 3, 1: *oratio Alexandri qua animos militum contra votum suum patriam desiderantes blande permulcet*, ad VI, 5, 18: *exceptus equus Alexandri quem ipse praecipue amabat*, ad VI, 5, 25: *de Thalestri regina*, ad VI, 5, 29: *magnitudine corporis sola aestimare quemque solere barbaros*, ad VI, 6, 1: *hic se palam vitiis Alexander dedit*, ad VI, 6, 8: *quot paelices habuerit tam Dareus quam Alexander*, ad VI, 6, 27: *anxio Alexandro quatinus fortuna consuluit*, ad VI, 8, 4: *Crateri pestifera persuasio in Philotan*, ad VI, 9, 1: *contio Alexandri, cum in eum quidam suorum conspirassent*, ad VI, 10, 1: *Philotae defensio apud concives*. duplex scriptura adparet his locis: III, 11, 27 (ubi corrigendum est: *ad quattuor milia quingenti*, de obscurata vi praepositionis in altero substantivo cf. Madvig. in praef. ad Liv. I, 2 p. XVIII ad X, 33, 6) in codice archetypo erat: quattuor quingenti[8] (ⲧ IIII et D); III, 1, 14 (ubi Zumptius recte restituit: *ad hanc perferendam Thersippus est missus)* Thersippus et missus (ⲧ ē) (unde factum est, ut in *F* et *V* scriberetur ⲧ ē *et missus)*; III, 16, 20 (ubi scribendum est: *nullum hoc die maius periculum adiit)* addidit (ⲧ accidit); V, 1, 22 (ubi recte sic editur: *laudes hi regum canere soliti, Chaldaei siderum motus et statas vices temporum ostendere)* statutas (ⲧ statas); V, 9, 1 (ubi haec leguntur: *ut victoriam speremus, mortem non recusemus)* hostem (ⲧ mortem); V, 12, 5 (in his verbis: *Alexandri sibi non minus iustitiam quam virtutem esse perspectam)* perfectam (ⲧ perspectam); VII, 1, 26 *(proinde ad haec praevertar)* reuertar (p̄ ⲧ habui) (unde in *V* haec lectio orta est *p̄reuertar)*; VII, 1, 34 *(ceterum, rex, equos decem habui)* habeo; VII, 3, 4 *(ibi exercitus qui sub Parmenione fuerrat ocurrit)* occupauit (ⲧ occurrit); VIII, 10, 32 (ubi ex Fossii coniectura scribendum est: *tantasque moles nulla ope quae cerneretur admotas deorum numine agi credebant)* auditas (ⲧ adiutas); VIII, 11, 3 (ubi cum Zumptio corrigendum est: *si pretium operae esset)* obpraeesset (ⲧ operis esset). is autem qui has notas addidit verbaque Curtii recognovit haud indoctus fuisse videtur, cum in notis Sozomenum et Hegesippum adferat (cf. not. ad VII, 5, 12 *factum Alexandri memorabile quod etiam Sozomenus Graecus scriptor in laudem Theodosii in historia tripertita commemorat* et ad VIII, 4, 31 *hoc factum etiam Egesippus commemorat in excidione Hierosolymorum)*. porro recte intellexit tribus locis lacunas extare: adnotat enim

8) ne quid omittam, addo aliquot locis non ⲧ id est *vel* extare, sed hoc signum ⲧ.

v, 13, 25 *hinc deest*, x, 1, 45 *hic desunt duae lineae*, x, 4, 3 *hic deest*. sed eundem linguae latinae non satis gnarum fuisse hae notae docent (ad verba Curtii VIIII, 1, 13 *agrestiumque pavonum): agresti pavones*, (ad verba v, 5, 10 *Ii qui modo): Ii interiectio furentis vel dolentis*.

Sed haec ratio prorsus mutatur codice Parisino VMDCCXVI conlato. huic codici fato quasi destinatum fuit, ut neglectus iaceret: quamquam enim initio saeculi decimi octavi Bernhardus Montefalconius in praefatione (p. II) libri quem de palaeographia Graeca scripsit eius mentionem iniecerat dixeratque in bibliotheca Colbertina egregium Q. Curtii codicem qui annos octingentos superaret extare[9]), tamen nemo fere inventus est qui eum accuratiore cognitione dignum haberet. Richardus quidem Bentleius hac codicis laude commotus est, ut paulo post a iuvene quodam Parisiis degente peteret, ut hunc codicem sibi conferret (cf. Mus. Rhen. vol. VIII p. 14). atque illum precibus obsecutum esse ex eo adparet, quod Wakefieldus (in adnot. ad Lucret. IIII, 692) dicit penes se esse praeter conlationem codicis Florentini Bentleianam (de qua pag. 8 dixi) alteram codicis Colbertini IIIIMXCVIIII. inde autem parvus tantum fructus ad Curtii emendationem redundavit, cum neque Bentleius consilium suum Curtii edendi exequeretur neque omnino conlatio eius ad scripturam tralaticiam corrigendam adhiberetur. neque postea Lemairius qui anno MDCCCXXII Curtii libros ad codices Parisinos recensitos edidit hunc codicem in consilium vocavit, sed hic illic duos alios codices (VMDCCXVII et VMDCCXVIII [10]) inspexit (cf. Muetzell. in praef. Curt. p. XVII). Zumptius autem qui trium codicum Parisinorum numeris VMDCCXVI, VMDCCXVII, VMDCCXVIII signatorum variantes scripturas ad capita quintum et sextum libri septimi a Michaele Beerio poeta acceperat ex illa operis particula intellegi posse credidit libros deterioris familiae esse atque ideo integram eorum librorum manu scriptorum conlationem sibi conparare noluit (cf. praefat. edit. prior. p. XVIIII). quae cum ita essent, ex quo tempore Curtii libris emendandis operam dare institui magno huius codicis veterrimi desiderio adficiebar neque quicquam magis in votis habebam, quam ut eum Parisiis in bibliotheca caesarea (huic enim bibliothecae Colbertina addita est tota) investigarem. quod mihi tandem anno MDCCCLXV contigit. nam cum per ferias aestivas illius anni Parisiis morarer et quam saepissime bibliothecam illam egregiam adirem, mox intellexi ex omnibus Curtii codicibus qui in ea adservantur unum esse

---

9) duo testimonia eiusdem fere aetatis de codice Parisino quae Cunz. (in praef. edit. p. LIII) attulit volens praetermitto, quoniam alterum (Maichel. de biblioth. Paris. p. 56) ex Montefalconii libro desumptum, alterum (Jour. littér. vol. XII p. 95 sq.) nondum a me repertum est.

10) hi codices quamquam tam foedis interpolationibus quam Zumptii codices interpolati depravati non sunt, tamen haud raro interpolationis indicia in eis adparent. ita in codice VMDCCXVII interpolata illa inscriptio *Quinti Curtii Rufi de gestis Alexandri Magni regis Macedonum liber secundus incipit* extat. deinde in utroque codice falsa codices numerandi ratio invenitur. sed nolo hic singulos locos persequi, haec sufficiant. moneo autem propter Fridericum Duebnerum, qui in Jahn. annall. philoll. vol. XVI p. 313 dixit codices VMDCCXVII et VMDCCXVIII esse saeculi decimi, hos codices saeculo duodecimo exaratos videri atque meum iudicium probari a Leopoldo Delisle.

qui reliquos et aetate et bonitate superaret codicem VMDCCXVI eundemque ex bibliotheca Colbertina in caesaream inlatum atque antea numero IIIIMXCVIIII signatum fuisse eumque contuli. scriptus autem est hic liber qui hodie CXXVI schedis quarum pagina una quaeque tricenos singulos versus continet formae oblongae constat (erant autem ab initio plures, sed aliquot perierunt, unde factum est, ut codex nunc in Curtii verbis X, 8, 14 *armisque ponendis* desinat) saeculo nono [11]) litteris minusculis ab uno librario Haimo monacho [12]): qui quamquam linguae latinae non prorsus quidem ignarus erat, tamen quae scripsit minime intellexit.

Is igitur codex quamquam manifestos aliquot errores cum ceteris codicibus communes habet, et antiquioris depravationis et communis originis indicia, tamen multis locis a lectione codicum optimorum *B F L V* ita recedit, ut eorum partim aperta menda tollat, partim occulta aut corrigat aut saltem arguat. cuius rei aliquot exempla adponam: III, 3, 5 in codice Parisino recte extat *inlustria* pro corrupta reliquorum codicum optimorum lectione *industria*, III, 10, 1 *iactum* pro *iam tum*, III, 11, 6 *inlacrimasse* pro *lacrimasse*, IIII, 1, 37 *Chium* pro *hium*, IIII, 3, 7 *prorutis* pro *proruptis*, IIII, 4, 17 *praebuit* pro *praefuit*, IIII, 7, 19 *occidentem* pro *occidentalem*, IIII, 7, 26 *fatis* pro *satis*, IIII, 10, 2

---

11) cum in catalogo codicum mss. reg. bibl. Paris. III, 4 p. 151 hic codex saec. XII ascribatur, ne quis de meo aetatis iudicio dubitet, scias mecum consentire Leopoldum Delisle, virum huius rei peritissimum, qui litteris mihi indicavit videri hunc codicem magis esse saeculi noni quam decimi. praeterea addo reliquos Curtii codices Parisinos saec. XIIII vel XV scriptos interpolatosque esse. denique moneo codicem Parisinum propter temporis angustias a me non totum excussum esse, sed Ottonem Matthiae qua erga me est benivolentia libros qui deerant octavum, nonum decimumque ineuntem contulisse admodum diligenter, ut ipse intellexi, cum nuper paucos dies Parisiis moratus codicem aliquotiens iterum inspicerem.

12) patet hoc ex eis verbis quibus hoc Curtii exemplar domno Chuinrado, comiti illustrissimo, dat. adponam hic verba quae in fol. 1 *vs.* (fol. 1 *r.* vacua relicta est) litteris uncialibus scripta extant: HAIMUS MONACHUS HOC VOLUMEN HISTORIARUM ALEXANDRI MAGNI IN LIBRIS VIII DOMNO CHUINRADO, ILLUSTRISSIMO COMITI, DEDIT, UT IPSE ACCOMMODARE EI DIGNETUR EXPOSITIONEM HRABANI IN LIBRUM ECCLESIASTICUM AD TRANSCRIBENDUM, CUIUS EXORDIUM EST: 'OMNIS SAPIENTIA AB [cod. AD] NOSTRO DEO EST.' saeculo deinde XIII vel XIIII haec ex Solino (p. 39, 12 M.) addita sunt: *legimus Alexandro petenti Indiam a rege Albaniae* [cod. *albanie*] *duos canes missos: quorum alter sues sibi et ursos* [cod. *uisos*] *oblatos usque eo sprevit* [cod. *spreuiti*], *ut offensus degenere praeda* [cod. *preda*] *ignavo* [cod. *ingnauo*] *similis diu accubaret. quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperavit. alter vero monitu eorum qui donum* [cod. *domu*] *persecuti* [cod. *psequiti*] *fuerunt leonem missum necavit. mox viso elephante notabiliter exultans* [cod. *exultatis*] *beluam primum astu fatigavit, deinde cum summo expectantium* [cod. *expectanciu*] *horrore terrae* [cod. *tre*] *adflixit* [cod. *astlixit*]. denique haec ipsa verba Solini a manu saeculi XV iterum exarata sunt. quis ille Haimus monachus fuerit, non exputo neque magis dicere possum, quis deinceps hunc codicem possederit: id addo in margine superiore fol. CIIII *vs.* a manu saec. XIIII vel XV nomen *Henrici Lori* extare.

incussa pro *inconcussa*, IIII, 13, 36 *defodisse* pro *diffodisse*, IIII, 15, 16 *qui* pro *hi*, IIII, 16, 29 *potest prudentius* pro *prudentius potest*, IIII, 16, 20 *adit* pro *accidit*, VI, 5, 13 *plana* pro *plena*, VI, 11, 37 *ipso* pro *illo*, VII, 1, 1 *censuerant* pro *cessuerant*, VII, 1, 14 *et ipsa* pro *ex ipsa*, VII, 1, 18 *peto* pro *petito*, VII, 3, 7 *ab occidente* pro *ad occidentem*, VII, 4, 29 *interdiu invia* pro *in die invia*, VII, 7, 12 *dubitabit* pro *dubitavit*, VII, 8, 18 *isdem* pro *his* vel *iis*, VII, 9, 4 *obiectae rates* pro *obiecta erat*, VII, 10, 14 *in ipso tabernaculo* pro *in ipso tabernaculum* [13]).

---

13) quoniam hic locus in vulgatis exemplaribus falso circumfertur, hic eum corrigam. narratur ibi Alexandrum pervenisse ad Oxum amnem cuius aqua insalubris potui fuisset. iam vulgo ex Christophori Brunonis (non Hadriani Iunii) coniectura haec secuntur: *itaque puteos miles coeperat fodere. nec tamen humo alte egesta existebat humor; cum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem, quia tarde notaverant, subito extitisse finxerunt. rexque ipse credi voluit deum donum id fuisse:* sed cum in codicibus non *cum* sed *tamen* extet neque hac mutatione orationis durities tollatur, eam probare non possum. facillime autem locus emendare potuit: nam praeter aliam verborum distinctionem tantum *tum* pro *tamen* corrigendum erat, id quod iam ab Italis factum esse video. scribendum enim est: *itaque puteos miles coeperat fodere nec tamen humo alte egesta existebat humor. tum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons: quem quia tarde notaverant, subito extitisse finxerunt rexque ipse credi voluit deum donum id fuisse.* frequenter autem *tum* et *tamen* propter siglorum similitudinem inter se commutari et omnino notum est et in Curtii libris id accidisse Zumptius docuit ad VI, 8 (29) 1. 3. VII, 5 (24) 42. atque eodem modo alter Curtii locus emendandus est: is extat VI, 4, 14. narraverat in eis quae praecedunt Curtius Alexandro litteras a Nabarzane allatas esse quibus se excusaret, quod necessitate coactus contra Dareum coniurasset, seque deditioni paratum ostenderet, si fidem rex dedisset, neque dubitasse Alexandrum fidem dare; deinde pergit: *quadrato tamen et conposito agmine ibat, speculatores subinde praemittens qui explorarent loca.* ita ex codicum auctoritate ab omnibus editoribus scribitur, sed offendor *tamen* particula: quadrato enim et conposito agmine ibat, non quod Nabarzani diffidebat, sed quod, ut paulo post traditur, et gens bellicosa et naturae situs difficilis curam regis intenderat. quam ob rem Curtium *tum* pro *tamen* scripsisse conicio: librarius enim archetypi putavit Alexandrum quadrato agmine iter fecisse, quod Nabarzani fidem non haberet, ideoque *tamen* a sententia requiri, sicuti re vera est V, 1, 19: *ceterum* (quamquam Babylon urbs Alexandro a Mazaeo, satrape Darei, tradita erat) *quadrato agmine quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet.* porro quam saepe falsa verborum distinctione Curtii verba corrupta sint, paucis exemplis demonstrabo. initium faciam ex libro septimo ubi 3, 13 (in descriptione molestiarum quas Macedones in aspera altaque nive contecta regione Parapamisadarum perpessi sunt) haec eduntur: *multos exanimavit rigor insolitus nivis, multorum adussit pedes, plurimorum oculis praecipue perniciabilis fuit. fatigati quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant: quae cum moveri desissent, vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum coniti non possent:* miror haec verba ab editoribus inde a Vindelino ad nostrum tempus sine offensione propagata esse, quoniam *quippe* particula sententia prorsus corrumpitur. nam cum haec particula causam enunciati praecedentis adferat, hic minime quadrat. sed quid argumentis utor, cum vera scriptura in codicibus optimis extet

VII, 11, 21 *nunc internitente lucis fulgore* pro *tunc i. l. f.*, VII, 11, 23 *admissus* pro *ad eos missus*, VIII, 1, 12 *spatiosas* pro *speciosas*, VIII, 1, 41 *praeterierit* pro *praeteriit*, VIII, 2, 6 *inter has* pro *in has*, VIII, 4, 4 *cadentium* pro *adeuntium*, VIII, 6, 6 *stirpi post* pro *stirpibus*, VIII, 6, 11 *in permutandis* pro *intermutandis*, VIII, 8, 21 *aulae et* pro *male*, VIII, 10, 4 *occurrerunt* pro *occurrent*, VIII, 12, 9 *imperii vires* pro *imperium res*, VIII, 13, 15 *felix* pro *infelix*, VIII, 1, 27 *cui Alexander* pro *cuius Alexander*, VIII, 4, 29 *ullum* pro *illum*, VIII, 7, 34 *eiusdem*

---

omnibus qui pro *fatigati* exhibent *fatigatis*. mutata igitur verborum distinctione scribendum est: *multos exanimavit rigor insolitus nivis: multorum adussit pedes, plurimorum oculos: praecipue perniciabilis fuit fatigatis, quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant: quae cum moveri desissent, vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum coniti non possent.* recte autem latine dici *oculos nive aduri* patet ex Valer. Flacc. III, 70 *ambusta pruinis lumina*, similiterque dixit Xenoph. anab. III, 5, 12 ἐλείποντο δὲ καὶ τῶν στρατιωτῶν οἵ τε διεφθαρμένοι ὑπὸ τῆς χιόνος τοὺς ὀφθαλμοὺς οἵ τε ὑπὸ τοῦ ψύχους τοὺς δακτύλους τῶν ποδῶν ἀποσεσηπότες. alter locus extat III, 8, 1 ubi vulgo haec edebantur: *Alexander ab Hammone rediens ut a mari ad Mareotin paludem haud procul insula Pharo sitam venit, contemplatus loci naturam primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere. inde ut adparuit magnae sedis insulam haud capacem esse, elegit urbi locum ubi nunc est Alexandria appellationem trahens ex nomine auctoris:* sed recte Zumptius exulare iussit verba *a mari ad* quae codices respuunt omnes. at restat, ni magnopere fallor, in his verbis adhuc vitium in usu temporum satis, ubi animum attenderis, apertum: nam quo modo haec inter se cohaereant, non intellego, cum post praegressam periodum *ut Mareotin paludem venit* non plusquamperfectum *fuerat* sed perfectum ponendum fuerit. accedit aliud: offendor enim structura quae est: *Mareotin paludem venit.* Zumptius quidem in adnotatatione ad h. l. eam defendere conatus dicit, Curtium poetarum morem imitatum quarto casu licentius usum esse saepiusque ubi *in* praepositionem additam expectares solum accusativum posuisse. qui usus quamquam apud scriptores argenteae latinitatis magis magisque increbruit, tamen Curtius non maiorem sibi sumpsisse videtur licentiam, quam ut praepositionem ante nomina propria omitteret. nam si hunc locum excipis qui aliam ob causam iam suspectus est, unicus restat III, 4, 1 quo Zumptius codices optimos secutus edidit: *interea Alexander Abistamene Cappadociae praeposito Ciliciam petens cum omnibus copiis regionem quae castra Cyri appellatur pervenerat.* sed qui secum reputaverit, quotiens et *in* praepositio in Curtii codicibus librariorum incuria omissa sit et *perveniendi* verbum *ad* vel *in* praepositionibus additis in Curtii historiis inveniatur (cf. *pervenire ad:* III, 4, 14. 7, 2. 7, 5. 8, 13. 8, 23. 13, 4. III, 9, 12. 10, 25. 16, 8. 16, 16. V, 1, 16. 2, 8. 3, 1. 5, 3. VI, 4, 20. 4, 23. VII, 3, 18. 4, 39. 5, 13. 6, 10. 10, 13. 10, 15. VIII, 10, 7. 10, 9. 12, 4. 13, 5. VIII, 1, 14. 2, 26. 4, 26. 7, 9. 8, 8. 8, 17. 9, 6. 10, 8, *pervenire in* III, 12, 1. 12, 7. III, 1, 24. V, 13, 6. VI, 2, 12. VII, 4, 25. 5, 28. 11, 15. VIII, 2, 37. 3, 10. 4, 15. 6, 21. VIII, 1, 24. 6, 23. 8, 11. 8, 28, *pervenire in regionem* III, 7, 2. V, 2, 1. 3, 3. VII, 3, 2. VIII, 1, 10. 4, 21. 10, 19. VIII, 4, 1. 6, 3. 10, 5), non dubitabit, quin Modius recte scripserit *in regionem.* eo autem loco unde excessi III, 8, 1 utramque difficultatem iam tollemus, si *ut* coniunctione in *ad* immutata periodum in hunc modum

pro *eius*, VIIII, 9, 4 *Martis* pro *maris*, VIIII, 9, 8 *reverberabatur* pro *reverabatur*, X, 1, 14 *frequentibus* pro *frementibus*, X, 1, 24 *talentum III milia* pro *talenta III milia*, X, 1, 38 *benignitatis* pro *benignitas*, X, 5, 10 *donantis* pro *donatis*, X, 5, 22 *post Alexandrum* pro *plus Alexandrum*, X, 8. 1 *imperii* pro *imperium*, X, 8, 10 *expetituras* pro *expectaturos*. his locis pauci adiungendi sunt quibus ex scriptura codicis Parisini adparet, quo modo corruptela codicum *B F L V* orta sit: veluti VI, 7, 4 ex Italorum coniectura recte editur *silenda*, in *P* extat *silenta*, in *B F L V silentia*. paullo post § 14 Lauer primus edidit *sed se captum*, *P* exhibet *sed captum*, *B F L V sed captus*. VII, 7, 22 Itali recte correxerunt *vate:* in *P* legitur *sute*, in *B F L V sue*. VII, 8, 17 Vindelinus edidit *boum*, in *P* extat *bovem*, in *B F L V boves*. VIIII, 1, 2 secundum Lauerum editur *celebratasque*, *P* exhibet *celebratesque*, *B F L V celebrantesque* [14]). VIIII, 9, 27

---

distinxerimus: *Alexander ab Hammone rediens ad Mareotin paludem haud procul insula Pharo sitam venit: contemplatus loci naturam primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere, inde ut adparuit magnae sedis insulam haud capacem esse, elegit urbi locum ubi nunc est Alexandria appellationem trahens ex nomine auctoris.* concinnavit igitur Curtius orationem eodem modo quo VII, 11, 4 *rex loci difficultate spectata statuerat inde abire, cupido deinde incessit animo naturam quoque fatigandi* et III, 12, 6 *ac primo Mithrenem qui Sardis tradiderat peritum linguae Persicae ire ad consolandas eas iusserat: veritus deinde, ne proditor captivarum iram doloremque renovaret, Leonnatum ex purpuratis suis misit iussum indicare falso lamentari eas vivum.* duobus his locis tertium addam X, 1, 1 ubi et vulgo et a Zumptio haec eduntur: *iisdem fere diebus Cleander et Sitalces et cum Agathone Heracon superveniunt, qui Parmenionem iussu regis occiderant, quinque milia peditum cum equitibus mille. sed et accusatores eos e provincia cui praefuerunt sequebantur.* atque Zumptius haec verba ita explicat, ut ducum nominibus quasi per appositionem copias quas illi adduxissent adiunctas esse dicat. sed latine ita dici mihi non persuadet neque persuasit Fossio: is enim locum ex more suo lacunosum ratus ad lacunam explendam in fine prioris sententiae *adducentes* interposuit, maxime quod Arrianus VI, 27, 3 hanc ipsam rem narrans participium *ἄγοντες* apponit: *ἦκον δὲ καὶ οἱ στρατηγοὶ οἱ ὑπολειφθέντες ἅμα Παρμενίωνι ἐπὶ τῆς στρατιᾶς τῆς ἐν Μηδίᾳ, Κλέανδρός τε καὶ Σιτάλκης καὶ Ἡράκων, τὴν πολλὴν τῆς στρατιᾶς καὶ οὗτοι ἄγοντες.* at participium hoc loco non recte inseritur: nam ita res coniungere est Graecorum non Romanorum. simpliciorem sane atque veriorem emendationem loci excogitavit Heusingerus (emend. II, 6 p 268) qui prava editionum interpunctione correcta verba *quinque milia peditum cum equitibus mille* cum sequentibus *sed et accusatores eos e provincia cui praefuerunt sequebantur* coniunxit. quod autem Muetzellius huic coniecturae opponit has argutias non convenire Curtio, falsum est, ut optime adparet ex his Curtii verbis (VIII, 13, 5) *igitur transfuga et regulo in custodiam, elephantis autem Taxili traditis ad amnem Hydaspen pervenit.*

14) haec participiorum permutatio me alterius loci admonet quem idem mendum adhuc obsidet: leguntur enim VIIII, 9, 25 (ubi maris Erythraei aestus describitur) vulgo haec: *qui primo aquis leni tractu subeuntibus coepit levare navigia, mox totis campis inundans etiam inpulit classem.* sed cum in codicibus omnibus non *inundans* sed *inundantes* extet neque hic *inundandi* verbum absolute positum admodum placeat, corrigendum esse conicio *mox totis campis inundatis etiam inpulit classem.*

Iunius correxit *esse media*, in *P* legitur *esset media*, in *B F L V esse et media*. x, 6, 8 ex Vindelini correctura nunc editur *cogitandumque*, *P* scribit *cogitantumque*, *B F L V cogitatumque*. ac sine dubio etiam aliis locis vel propter sententiarum nexum vel propter sermonis latini rationem ex coniectura ea ipsa quae in codice Parisino extant restituenda erant: ita nunc III, 1, 18 ubi Curtius narrat, quo modo Alexander Gordii fatalem vehiculi nodum solverit, ex auctoritate codicum *B L V* editur: *ille nequiquam diu luctatus cum latentibus nodis, 'Nihil,' inquit, 'interest, quo modo solvantur': gladioque ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit vel inplevit:* sed recte in codice Parisino legitur *nequaquam*, quae vox multo magis Alexandri ingenio convenit: non enim (ut Heusinger. emend. p. 209 recte dicit) credibile est temerariam eius fiduciam longae morae patientem fuisse. praeterea intellexit Walchius (in censura prioris editionis Zumptianae, Hall. Litt. Ztg. 1829 p. 130) verborum conlocationem *nequiquam diu* falsam esse: dicendum enim erat *diu nequiquam*, ut legitur apud Livium IIII, 55 8 *ab arce Carventana, cum diu nequiquam oppugnatum esset, recessum.* III, 6, 11 in narratione de Alexandro a Philippo medico servato cum aliis Zumptius codices *B L V* secutus edidit: *oro quaesoque, amisso metu patere medicamentum concipi venis,* sed sententia flagitat, ut lectio codicis Parisini *omisso metu* recipiatur. Philippus enim medicus petit a rege, ut metum deponat, ne vis medicamenti minuatur, atque in damno quod invitis nobis et casu accidit recte usurpatur amittendi verbum, in eo autem quod volentes et sponte accipimus omittendi verbum adhibendum est (cf. Doederlein. Synon. III, 285 sq., Drakenborch. ad Liv. VII, 34, 9. VIII, 27, 11. Kritz. ad Sall. Iug. 31, 17. Bak. ad Cic. de leg. I, 2, 5). IIII, 4, 12 (ubi describitur, quo modo Tyrii a Macedonibus urbem intrantibus se defendant) haec eduntur: *cum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus aedium obseratis occupant liberum mortis arbitrium, non nulli ruunt in hostem haud inulti tamen perituri, magna pars summa tectorum obtinebat saxa et quidquid fors manibus dederat ingerentes:* sed *manibus* emendatio est principis editoris, codices *B F L V* tuentur *in manibus*. quae mutatio quamquam lenissima est, tamen, opinor, praestat sequi codicem Parisinum, qui *in manus* exhibet: nam et melius dicitur *in manus dare* quam *manibus dare* et frequenter apud *in* praepositionem a librariis accusativus et ablativus inter se commutantur: ita IIII, 16, 20 recte emendavit Vindelinus *in fugam* pro corrupta codicum scriptura *in fuga*, V, 1, 2 Modius *in conspectum* pro *in conspectu*, VI, 6, 6 Itali *in Asiam* pro *in Asia*, VI, 6, 15 Lauer *in quam* pro *in qua*, VIII, 1, 37 Lauer *in Italiam* pro *in Italia*. ac duobus locis quibus vera scriptura in *B F L V* eodem modo corrupta extat, sed iandudum restituta est codex Parisinus hanc ipsam servavit: VIII, 1, 5 *in ea* pro *in eam* et VIII, 4, 25 *in amorem* pro *in amore*. quibus locis duo addendi sunt qui adhuc corrupti circumferuntur: alter extat VII, 11, 29 ubi in codicibus haec leguntur: *multitudo dediticiorum incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data est: Artabazus in petrae regionisque quae adposita esset in tutela relictus.* nemo autem credet Artabazum, summum provinciae praefectum, in provinciae tutela relictum esse, sed provinciam in ipsius tutela, ut Curtius VIII, 11, 25 scripsit *petrae*

regionisque ei adiunctae Sisocosto tutela permissa et VIII, 1, 21 *ob has causas validissimam imperii partem fidei eius tutelaeque commisit:* corrigendum igitur est *Artabazus in petrae regionisque quae adposita esset ei tutelam relictus.* significat enim *in tutelam* idem fere atque *ad tutelam* (cf. Curt. III, 11, 12. Liv. XXXXII, 55, 7. Tac. ann. I, 41. Iustin. XI, 5, 3), quoniam *in* praepositionis cum accusativo coniunctae ea vis est, ut consilium vel effectus indicetur (cf. Madvig. opusc. I p. 167 sq.), veluti Curtius dixit VII, 3, 5 *quattuor milibus peditum et sexcentis equitibus in praesidium relictis,* III, 8, 4 *IIII milibus in praesidium regionis eius datis,* VI, 5, 32 *XIII dies in obsequium desiderii eius absumpti sunt,* VII, 6, 19 *Meleagrum et Perdiccam in obsidionem iungit,* Iustin. XIII, 8, 3 *Neoptolem us quoque in auxilium Eumeni relictus,* Sen. ep. XIIII, 2 (90) 38 *sufficiebat illa ut parens in tutelam omnium* (ubi item codices optimi Bambergensis et Argentoratensis exhibent *in tutela).* facile autem intellegitur, quo modo hoc mendum in Curtii verba inrepserit: librarius enim non ignorans vulgo recteque coniungi *relinquere aliquem in aliqua re,* huic quoque loco ablativum restituit, quamquam accusativus rectissime se habet, cum praepositionis hoc loco prorsus alia sit vis. alter locus quem eodem modo depravatum esse puto legitur III, 7, 4 ubi codicibus consentientibus haec eduntur: *iamque haud procul Memphi erat: in cuius praesidio Mazaces, praetor Darei, relictus Oron amne superato octingenta talenta Alexandro omnemque regiam supellectilem tradidit.* haereo hic in verbis quae sunt *in cuius praesidio relictus:* quamquam enim ita explicari possunt, ut significent *in cuius castello* vel *arce,* tamen haec explicatio hoc loco minime quadrat, nam Mazaces praetor urbis a Dareo sine dubio ideo relictus erat, ut urbem custodiret, ut ei praesidio esset, sicuti alias dicitur *relinquere aliquem praesidio* (Caes. d. b. g. V, 11, 7. VI, 32, 5. VII, 40, 3. 60, 2. d. b. c. I, 41, 1. II, 39, 1. Liv. X, 30, 8. XXII, 59, 9. XXVIIII, 22, 12. XXXVII, 39, 12. XXXXIIII, 38, 6) vel *relinquere ad praesidium* (Liv. III, 5, 3. 18, 5. IIII, 27, 1. VI, 22, 1. XXI, 60, 5. XXIIII, 13, 4. XXVI, 42, 1. XXVII, 30, 15. 32, 10. XXVIII, 17, 12. 46, 10. XXXII, 16, 5. XXXVI, 45, 8. XXXXIII, 10, 4. XXXXIIII, 3, 10) vel *relinquere praesidii causa* (Liv. XXXV, 39, 2): quam ob rem Curtium *in cuius praesidium* (ni praeferas *in* praepositione deleta *cuius praesidio* [15]) scripsisse conicio. fortasse idem mendum etiam a tribus

15) saepe enim ut apud alios scriptores ita in Curtii codicibus *in* praepositio prave vel addita vel omissa est, maxime *m* littera vel praecedente vel sequente: ita vulgo recte contra codices *in* additur his locis III, 4, 11 *qui* in *subeuntes propellerent,* III, 12, 3 in *duo cornua diviserat peditem,* IIII, 13, 18 *sed* in *conspectu omnium duces et proximum quemque interequitans adloquebatur,* V, 1, 25 *spatium* XXX *et duorum pedum* in *latitudinem amplectitur,* VI, 2, 16 *discurrunt lymphatis similes* in *tabernacula et itineri sarcinas aptant,* VII, 1, 29 *an non propemodum* in *tua verba tui omnes te praeeunte iuravimus,* X, 5, 12 *Macedonia profecti ultra Euphraten* in *mediis hostibus novum imperium aspernantibus destitutos se esse cernebant.* atque sine dubio etiam VI, 5, 21 praepositio addenda erat: eduntur ibi secundum codices: *iam aliquantum altitudinis opus creverat,* quam loquendi rationem Zumptius defendere conatur, sed

Livii locis removendum est: primus extat I, 38, 1 (in enarratione belli a Tarquinio Prisco cum Sabinis gesti) ubi haec leguntur: *Collatia et quidquid citra Collatiam agri erat Sabinis ademptum, Egerius — fratris hic filius erat regis — Collatiae in praesidio relictus.* sed nonne potius Egerius qui Collatiae regis vices sustinere iussus erat *in praesidium* erat relictus? alter legitur I, 14, 9 (ubi bellum Romanorum cum Fidenatibus describitur): *addunt pavorem mota e castris signa eorum qui in praesidio relicti fuerant:* de castello vel arce quadam, qua castra defenderentur, cogitari non potest, sed milites ad praesidium castrorum relicti erant: corrigendum igitur est *in praesidium.* idem valet de tertio Livii loco XXXVIII, 31, 11 (ubi narratur Hispanos Romanorum inpetum ferre non potuisse ac terga vertisse): *fugientes in castra equites persecuti sunt et permixti turbae hostium intra vallum penetraverunt ubi ab relictis in praesidio castrorum proelium instauratum coactique sunt Romani equites descendere ex equis:* iterum milites ad tuenda castra relicti sunt iterumque corrigendum est *in praesidium.* quartum addidissem locum XXXXIIII, 4, 11: *egregie ad ultimum in audaciter commisso perseveravit et Popilio relicto in custodia iugi per invia transgressurus praemissis, qui repurgarent iter, Attalum et Misagenem cum suae gentis utrumque auxiliaribus praesidio esse saltum aperientibus iubet,* ubi *in custodiam iugi* scribendum est (cf. XXXXIIII, 38, 6: *nec ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis)*, nisi hanc emendationem Drakenborchius iam praecepisset, quamquam nemo editorum paruit. sed revertendum est ad Curtium. III, 12, 24 refertur ante proelium ad Arbela commissum a Macedonibus, cum primum hostes conspexissent, ingentem pugnantium more clamorem editum esse redditumque a Persis: sed Alexandrum non passum, ut proelium iniretur, vallum iaci iussisse. iam pergit Curtius secundum codices *B F L V: strenueque opere perfecto in tabernaculum ex quo tota acies hostium conspiciebatur successit:* sed *succedendi* verbo hic non est

---

frustra ingenium exercuit. recte quidem *aliquantum* genetivo adiecto in mensura significanda accusativo casu dicitur, veluti Caes. d. b. g. V, 10, 2 scripsit *his aliquantum itineris progressis* et Liv. I, 25, 8 *iam aliquantum spatii ex eo loco ubi pugnatum est aufugerat,* sed *altitudinis* nomen pro mensura non poni potest nec dici *altitudinem* vel *magnam altitudinem crescere,* sed tantum *in altitudinem* vel *in magnam altitudinem crescere.* scribendum igitur est *iam* in *aliquantum altitudinis opus creverat,* ut recte intellexerunt Acidalius olim et nuper Madvigius *(emend. Liv.* p. 342 ubi Livio XXVIII, 18, 17 haec restituit *in aliquantum iam altitudinis excitata erant moenia).* similiter dixit Curt. VIII, 1, 9 *silvae proceris et in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosae,* Liv. XXVII, 28, 10 *cataracta deiecta clausa erat: eam partim vectibus levant, partim funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possint* et XLII, 15, 5, *dextra pars labe terrae in aliquantum altitudinis diruta erat,* Senec. ep. XV, 2, 60 *muros in miram altitudinem eductos arietibus ac machinis quassant* et XX, 7, 24 *in quantum potest plurimum crescere.* contrario modo depravata sunt verba Curtii X, 3, 11: leguntur ibi in oratione Alexandri ad peregrinos milites secundum codicum auctoritatem haec: *ergo ipse Oxyartis Persae filiam mecum in matrimonio iunxi, non dedignatus ex captiva liberos tollere.* unus Muetzellius hoc

locus, nam hoc verbum pariter ac simile *subire* in significatione introeundi cum solo accusativo et apud poetas cum dativo coniungitur, sed nusquam *in* praepositionem adsumit: conlato igitur Curtii loco simillimo VII, 8, 1 ubi codicibus consentientibus leguntur *in tabernaculum secessit* vulgo optime *successit* in *secessit* corrigitur: quae mutatio iam firmatur codice Parisino qui hanc ipsam formam servavit. quod autem Zumptius in adnotatione ad hunc locum dicit: '*successit* in Modii membranis inventum esse', vereor ne falsum sit: Modius enim edidit *secessit* adnotavitque haec: 'pusillum est, sed moneo tamen vulgo hic legi *successit*.' quam notam non ad codices eius manuscriptos, sed ad editiones spectare adparet. tertium locum qui hic addendus erat Muetzellius iam praecepit: is enim recte intellexit verba quae VIII, 1, 32 ex consensu codicum vulgo circumferuntur: *horum vim ut ostenderet Alexandro, in conseptu leonem eximiae magnitudinis iussit emitti et IIII omnino admoveri canes qui celeriter feram occupaverunt* non ferenda esse, sed corrigendum *in conseptum*, praepositione *in* hoc loco quartum casum postulante: non enim significatur intra quosdam fines leonem emissum esse, sed quo emissus sit. quae ratio auctoritate Diodori firmatur qui eandem rem narrans XVII, 92 ita loquitur: *βουλόμενος δὲ τὸν Ἀλέξανδρον διὰ τῶν ἔργων λαβεῖν πεῖραν τῆς τῶν κυνῶν ἀρετῆς, εἰςήγαγεν εἴς τι περίφραγμα λέοντα τέλειον, καὶ τῶν δοθέντων κυνῶν δύο τοὺς εὐτελεστάτους προέβαλε τῷ λέοντι*[16]. V, 1, 22 (ubi narratur, quo

---

loco offendit, quod *in* praepositio verbis *matrimonio iunxi* addita est eumque usum rarum vocat. at praepositio non solum rara in hac dictione est, sed prorsus sermoni latino repugnat: is enim postulat, ut solus ablativus ponatur, quo causa coniunctionis indicetur, quem ad modum Curtius dixit V, 3, 12 *matrimonio secum iungere* (etiam Iustin. II, 6, 7. Digest. XXIII, 2, 17), VI, 9, 30 *matrimonio secum coniungere* (Sueton. Ner. 28. Digest. XXIII, 2, 15), VIII, 1, 9 *matrimonio sibi iungere* (Liv. XXVIIII, 29, 12), VIII, 4, 29 *matrimonio sibi adiungere*, VIII, 4, 26 *matrimonii iure iungi*, VIII, 4, 25 *conubio iungi*, III, 5, 1 *nuptiis sibi adiungere*, quare delenda est praepositio. idem mendum corrigendum esse puto etiam VIII, 1, 33 ubi in describenda canum quorundam virtute ad venandum haec eduntur: *ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat: tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam memoriae proditum est.* sed valde dubito, num *in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam* latine dicatur: haec enim verborum constructio exemplo caret, cum *ingenerandi* verbum aut cum tertio casu aut cum *in* praepositione et quarto casu coniungatur. vereor igitur, ne praepositio ex geminatione *m* litterae vocabuli praecedentis originem suam traxerit. eodem modo Zumptius VI, 9, 7 aperte corruptam codicum optimorum scripturam *nullius eorum indicio Philotas in particeps sceleris destinabatur* sanare conatus est: ubi tamen, cum additae praepositionis nulla sit probabilitas, cum Walchio *Philotas ut particeps* corrigere malim, sicuti Curtius VIII, 6, 24 dixit *Callisthenen non ut participem facinoris nominatum esse constabat.* unus autem locus iandudum hoc modo correctus est: Palmerius enim coniecit VII, 4, 14 pro prava codicum scriptura *in his audientium expectationem sui spem dederat* scribendum esse *his audientium expectationem suspenderat.*

16) neque solum *in* praepositione addita accusativum et ablativum inter se commutatos esse patet ex his locis libri quarti: 3, 10 ubi nunc recte editur *qui procul hostium conspectu*

modo Babylonii Alexandrum urbem intrantem exceperint) in codicibus *BFLV* haec leguntur: *Magi deinde suo more carmen canentes, post hos Chaldaei Babyloniorumque non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant: laudes hi regum canere soliti, Chaldaei siderum motus et statutas vices temporum ostendere:* sed hoc loco *statutas* minime recte dici multi iam observarunt, nam (ut recte dixit Drakenborch. ad Liv. XXIIII, 27, 1) '*statum* dicitur quod certo ac definito tempore recurrit, *statutum* vero quod tempore indicto'. atque sic recte tuentur Curtii codices VIII, 9, 13 *statas temporum vices*, VIIII, 9, 9 *stata vice*, VIIII, 9, 27 *statum tempus* et VI, 3, 7 et VIII, 2, 6 *statuto tempore*. corrigendum igitur erat h. l. *statas vices temporum*, quae scriptura confirmatur testimonio codicis Parisini. porro VI, 1, 10 (in descriptione pugnae inter Antipatrum Lacedaemoniosque commissae) codices *BFLV* tuentur haec: *ceterum angustiae loci in quo haeserat pugna non patiebantur totis ingredi viribus: expectabant ergo plures quam inierant proelium et qui extra teli iactum erant clamore invicem suos accendebant:* ita Zumptius propter codicum auctoritatem scripsit pro vulgata lectione *spectabant* explicavitque: 'expectabant illi pugnae eventum, ut, sicut res posceret, aut in locum commilitonum succederent aud fugerent.' sed nemo est quin videat et hanc explicationem valde contortam esse et sententiarum nexum flagitare, ut dicatur: propter loci angustias magnum militum numerum pugnare non potuisse, sed otiosum pugnae spectatorem fuisse: recte ideo vulgo ex coniectura edebatur *spectabant*. sed non opus est coniectura, nam haec ipsa lectio extat in codice Parisino. frequentissima autem est in codicibus confusio et horum verborum et omnino eorum qui *s* impuro incipiunt (cf. Lachmann. ad Lucr. IIII, 283, Ieep. ad Iustin. XXXXIII, 4, 6, Vahlen. mus. Rhen. vol. XI p. 589 not.). in Curtii libris haec exempla inveniuntur: VIII, 12, 9 Lauer correxit *expectasse*, in codicibus est *spectasse*, VIIII, 4, 28 ab eodem restitutum est *spectantem* pro codicum lectione *expectantem*, VII, 5, 36 codex Parisinus veram scripturam *spectaculum* retinuit, *BFLV* exhibent *expectaculum*, VII, 7, 4 idem recte praebet

---

subibant aquam (codd. *aqua*) ex Laueri emendatione, 5, 12 *quocumque pendentes animos tulisset fortuna* (codd. *fortunam*) ex Palmerii ci., 15, 7 *si acie vicerimus* (codd. *aciem*) ex Laueri ci. his unum locum adiciam libri octavi: ibi in oratione qua Alexander se ab exprobrationibus Hermolai defendit (8, 10) codices tuentur haec: *veni enim in Asiam, non ut funditus everterem gentes nec ut dimidia parte terrarum solitudine facerem, sed ut illos quos bello subegissem victoriae meae non paeniteret.* hanc codicum optimorum scripturam Zumptius constantiae causa, ut gloriatur, recepit eumque Muetzellius et Fossius secuti sunt, vulgo ex usu sermonis latini *dimidiam partem* edebatur. at non minus recte se habere *dimidia parte* Zumptius iudicat quam *dimidiam partem*. sed nondum mihi persuasi ita latine dici posse vel, ut accuratius dicam, hoc loco ita dici posse: nam optime scio *solitudinem aliqua re facere* recte dici, si ablativo causa solitudinis significatur, veluti *vastando, urendo solitudinem facere:* sed cum terra quae solitudo reddatur significetur, ponendus est vel solus accusativus vel *ex* praepositio vel sententia paullo immutata *in* cum ablativo (ut legitur VIIII, 2, 24 *postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis*). iam cum lenissima mutatione accusativus restitui possit, ad vulgatam lectionem redeundum esse censeo.

spectant, *BFLV expectant*, contra III, 2, 10 *expulsus*, quam formam *BFLV* tuentur, in *P* abiit in *spulsus*. ac vereor, ne alter Curtii locus eodem modo depravatus sit: VIII, 5, 11 (ubi narratur Alexandrum de muro in oppidum Oxydracarum desiluisse ac solum cum incolis pugnasse: tandem ab Indo quodam sagitta vulneratum moribundo similem iacuisse) et vulgo et a Zumptio secundum auctoritatem codicum *BFLV* editur: *itaque ad expoliandum corpus qui vulneraverat alacer gaudio accurrit.* sed in codice Parisino legitur *ad spoliandum corpus*, quam lectionem probo: nam neque hoc loco expoliandi verbum quod solum significare potest *aliquem prorsus spoliare* hic recte ponitur et omnino de hoc verbo dubito, praesertim cum codicibus accuratius exploratis iam compluribus locis expulsum sit (cf. Cic. p. Deiot. 9, 25. Sall. Cat. 51, 9. Iustin. XXVI, 1, 7. Ov. met. XIII, 561). VI, 2, 2 (in enarratione vitiorum quibus Alexander quem arma Persarum non fregerunt victus est) haec leguntur in codicibus *BFLV: intempestiva convivia et perpotandi pervigilandique insana dulcedo ludique et greges pelicum.* multum hic offensionis praebuerunt verba *intempestiva convivia:* Zumptius quidem sequitur Lipsium qui (ad Tac. ann. XIII, 2) *convivia tempestiva* et *intempestiva* sic distinxit, ut *tempestiva* diurna essent, *intempestiva* autem nocturna, atque explicavit convivia esse in multam noctem producta: iure enim convivia quae in longum traherentur inque noctem intempestam vocari intempestiva. at hoc modo *intempestivus* numquam dicitur. recte igitur Lipsio oblocutus est Salmasius (ad Vopisc. Flor. 6) qui assentiente I. F. Gronovio (ad Quintil. declam. CCLX) dixit intempestiva convivia nulla extare in veterum libris nisi vitiis librariorum atque, ubicumque intempestivorum mentio fieret, tempestiva reponi deberi: tempestiva enim i. e. de medio die inita in vitiis posita fuisse, ut opus non esset intempestiva illis opponi. sed ne hic quidem satis recte. nam quoniam *intempestivus* ita usurpatur, ut significet quae tempore alieno instituuntur, ubi aliud agendum erat (cf. Curt. III, 8, 3 *cupido intempestiva*, III, 6, 11 *sollicitudo intempestiva*, Sen. cons. ad Polyb. 17, 6 *lusus intempestivus)*, *intempestiva convivia* recte dici possunt: sunt enim non infames illae epulae quae de medio die in mediam noctem protrahuntur (cf. § 5. Sueton. Ner. 27. Ter. Adelph. V, 9, 8. Catull. 47, 5. Hor. serm. II, 8, 2. ep. I, 14, 34. Sil. Ital. XI, 41), sed eae quae alieno tempore locove celebrantur. at licet *intempestiva convivia* recte dicantur, tamen h. l. ferri non possunt: Curtius enim Alexandrum vituperat, non quod convivia alieno tempore locove celebraverit (narrat enim § 1 eum haec convivia iniisse *ut primum instantibus curis laxatus est animus)*, sed quod morem hominum luxuriosorum imitatus est qui non ut homines frugi hora nona vel decima die iam mortuo, sed *de die* vel *medio de die* cenas auspicabantur. itaque pro *intempestiva convivia* scribendum erat *tempestiva convivia*, cuius lectionis vestigia adparent in codice Parisino qui *tempestaviva convivia* exhibet. item paullo post (§ 5) corrigendum est *tempestivis conviviis*, ubi iterum in codicibus *BFLV intempestivis conviviis*, in Parisino solo vera forma extat. sed VIII, 1, 22 et *BFLV* et *P* recte servarunt: *iamque iter parare in posterum iussus sollemni et tempestivo adhibetur convivio.* VI, 4, 20 (ubi describitur, per quae loca Alexander Bessum persecutus sit) codices *BFLV* haec tuentur: *hinc rex XX stadia processit semita prope-*

modum invia, cui silva imminebat, torrentesque et eluvies iter morabantur: nullo tamen hoste obvio penetrat tandemque ad ulteriora perventum est: ac Zumptius hanc lectionem retinuit ratus vocabulum quod est *ulteriora* oppositum verbis quae praecedunt *semita propemodum invia cui silva imminebat torrentesque et eluvies iter morabantur* idem significare ac *cultiora.* sed hoc modo *ulteriora* verbum numquam usurpatur. itaque recte Itali iam *ulteriora* in *cultiora* correxerunt atque hoc ipsum vocabulum ab initio in codice Parisino fuisse videtur, sed nunc prima littera erasa *ultiora* tantum superest. quae coniectura firmatur alio loco qui VII, 3, 18 extat: *tandem ad loca cultiora perventum est,* ubi in aliquot codicibus interpolatis *(Fch Bb V2)* item *ulteriora* pro *cultiora* legitur. VI, 7, 17 (narratur Cebalinum regiam adiisse, ut regi denuntiaret a compluribus Macedonibus proditionem contra ipsum esse initam) ex auctoritate codicum *BFLV* editur *ipse Cebalinus ante vestibulum regiae — neque enim propius aditus ei patebat — consistit opperiens aliquem amicorum ex prima cohorte, a quo introduceretur ad regem.* quae verba si recte se habent, significant Cebalinum amicum aliquem regis qui huic inprimis carus esset opperitum esse. sed haec minime voluit dicere Curtius: nam Cebalinus non amicum inprimis carum Alexandri opperiebatur, sed aliquem ex equitibus Macedonicis quibus custodia regis commissa erat, quoniam *amici* vox, ut recte intellexit Zumptius, interpretatur Graecorum ἑταῖρον, quo modo haec vox etiam VI, 2, 11 usurpatur. ita saepe apud Arrianum commemorantur οἱ ἑταῖροι vel οἱ ἑταῖροι ἱππεῖς (ut omittam alia nomina quibus hi ab Arriano appellantur (cf. Muetzell. ad Curt. V, 2, 3 p. 396[a]), prima autem cohors eandem partem equitum Macedonicorum significat quae Graece τὸ ἄγημα τῶν ἑταίρων appellatur. at tum non recte se habet verborum conlocatio: dicendum enim erat *aliquem ex prima cohorte amicorum,* atque hunc ipsum ordinem servavit codex Parisinus quem sine dubio sequi debemus. VI, 9, 32 in narratione iudicii de Philota habiti haec exhibent codices *BFLV: tum dicere orsus Philotas, sive conscientia sceleris sive periculi magnitudine amens et attonitus, non attollere oculos, non hiscere audebat. lacrimis deinde manantibus linquente animo in eum a quo tenebatur incubuit: abstersisque amiculo eius oculis paulatim recipiens spiritum ac vocem dicturus videbatur:* facile intellegitur priora verba *dicere orsus* non satis congruere cum eis quae secuntur: ex his enim adparet Philotan non locutum esse. quam ob rem iam Modius corruptela loci intellecta *iussus* pro *orsus* scribi iusserat: sine dubio recte, si reputas in codice Parisino non *orsus* sed *rursus* extare: *iussus* autem et *rursus* facile inter se commutari posse non est quod doceam. paullo post VI, 10, 14 Philotas in oratione qua se a proditionis crimine defendit secundum codices *BFLV* haec dicit: *scelerati conscientia obstrepente cum dormire non possunt, agitant eos furiae non consummato modo sed etiam cogitato parricidio*[17]): sed recte iam Modius in *cum* coniunctione haesit qua sententia pervertitur. Philotas enim

---

17) codices omnes, ut accurate dicam, exhibent *non cogitato modo sed etiam consummato parricidio,* sed haec verba corrupta corrigendumque esse *non consummato modo sed etiam cogitato parricidio* recte intellexit Modius.

dicit gravi sopore se captum fuisse, cum a satellitibus regis e somno excitatus ac vinctus esset: vulgo autem credi nocentes a furiis agitatos dormire non posse, innocentes solos somnum capere. optime igitur Modius scribendum esse coniecit: *scelerati conscientia obstrepente condormire non possunt: agitant eos furiae non consummato modo sed etiam cogitato parricidio.* quae coniectura firmatur codice Parisino in quo *comdormire* legitur. Zumptius quidem huic coniecturae opposuit, quod verbum *condormire* non legitur apud bonum auctorem nisi apud Sueton. Aug. 78 hac significatione, ut sit dormire, dum aliquid agitur aliud. atque sane ita usurpatur verbum etiam apud Hygin. fab. 125: *cum Ulixes condormiret, socii involarunt pecus:* sed hoc parvi momenti est, nam saepissime *cum* praepositionis notio in verbis conpositis prorsus evanuit et solum verbum simplex auget (cf. *contendere, conclamare* Caes. d. b. g. I, 47, 6. Ov. met. III, 691. VI, 327. X, 385, *conlacrimare* Cic. p. Sest. 58, 123), et legitur apud Capitolin. Ver. 4, 9: *gladiatorum etiam frequentius pugnas in convivio habuit trahens cenas in noctem et in toro convivali condormiens, ita ut levatus cum stromatibus in cubiculum perferretur.* VIII, 12, 6 (ubi narratur Omphim, regem Indiae, regnum suum Alexandro dedisse ac per legatos eum consuluisse, utrum se interim regnare an privatum eius adventum opperiri vellet) vulgo haec edebantur: *permissoque ut regnaret, non tamen ius datum usurpare sustinuit.* sed Zumptius pro *permissoque* edidit *permissusque* auctoritatem codicum *BFL* secutus (in *V* extat *permissique)* adnotavitque se non ausum esse correctione tollere hanc quandam soloecismi speciem. miror quod Zumptius qui Curtium Augusti temporibus vixisse putavit — equidem eis accedo qui scriptorem Vespasiani temporibus adsignant — hoc vitium defendit: nam licet vitiosum hoc loquendi genus extremo linguae latinae aetate saepius occurrat (multos locos ex Ammiano Marcellino conlegit Muetzell. in adn. ad h. l.), tamen — si, ut par est, vulgarem sermonem poetasque non respicis — id a scriptoribus et aureae et argenteae latinitatis abest. qui autem locos quales sunt Senec. de ir. I, 7, 4 *animus si in iram, amorem aliosque se proiecit adfectus, non permittitur reprimere inpetum* vel de benef. IIII, 12, 2 *latronibus circumventum defendo, ut tuto transire permittatur* adferunt, errant: ibi enim *permittendi* verbum recte inpersonaliter usurpatur (cf. Haas. ad Reisig. art. gr. p. 698. Madvig. de Ascon. Ped. p. 138 not. Kühner. ad Cic. Tusc. III, 29, 72). itaque recte ex usu scriptoris correxit Modius *permissoque,* ut saepius apud Livium legimus (VI, 25, 5, XXXVIII, 10, 2, XXXXV, 5, 3) similiterque apud Curtium invenimus *audito* (V, 13, 1. Liv. XXXIIII, 19, 10). quae Modii coniectura iam stabilitur codice Parisino, qui hic quoque verae lectionis vestigia servavit: exhibet enim *praemissoque* (erravi hoc loco paullum in indicanda lectionis varietate in editione mea) solita siglorum *p* et *p̄* commutatione. sufficiant hi loci quibus scriptura codicis Parisini sine dubio veram lectionem quae in codicibus *BFLV* depravata est servavit. de interpolatore autem qui menda sustulerit cogitare non licet: nam primum hae emendationes omnes arbitrio factarum non habent speciem. accedit quod codex Parisinus, ut iam supra dixi, ab homine qui linguae latinae non prorsus ignarus tamen quae scripsit minime intellexit exaratus est. unde factum est, ut saepius erraverit, quod

verba falso coniunxit disiunxitve quodque verba rara commutavit cum tritioribus quae litteris similia erant nulla sensus habita ratione. paucis exemplis defungar: VI, 9, 19 in codice Parisino extat *violares* pro *viliores*. VI, 11, 5 recte ex Zumptii coniectura editur *nunc cur Hammonem consuli vellet*, sed in codd. *BFLV* non est *nunc cur*, sed *necum*, unde librarius codicis Parisini effecit *mecum*. VII, 2, 18 cod. *P* exhibet *quod estimaverat* pro *quo destinaverat* eademque paragrapho *undecim modio* pro *undecimo die*. VII, 5, 28 *egregia* pro *e Graecia*. VII, 6, 8 *contractum* pro *contra eum*. VII, 6, 20 *agro* pro *a Cyro*. VIII, 10, 18 *interiora* pro *inter ora*. VIII, 8, 11 *indigentem* pro *Indiae gentem*. X, 5, 22 *ipsa stuperetur* pro *ipsa tueretur*. X, 7, 3 *condamnant* pro *conclamant*. sed apertum est his locis genuinam lectionem non consulto, sed neglegentia eius qui codicem descripsit depravatam esse. neque omnino interpolationis suspicio in hunc codicem cadit, id quod optime eis locis quibus codices interpolati ab integris recedunt probatur: ubique enim codex Parisinus cum optimis conspirat. huius rei exempla sunt: III, 3, 5 et in *P* et in *BLV* (codicem Florentinum addere non possum, quoniam is incipit demum a verbis III, 10, 6 *vix gladio futurum opus)* leguntur haec: *quidem non augurabantur*, quam lectionem codices deterioris familiae ita interpolarunt: *quidam non ita augurabantur (Fdgh Bb V2), quidam vero augurabantur (Fb), quidam vero ita augurabantur (Fefi)*. III, 3, 11 *P* et *BV* recte tuentur haec: *nec, perseveraret an abiret, satis certo*, in *FL* (item in *Fb* et *V2*) errore scriptum est: *ne perseveraret an abiret satis certo*, unde hae interpolationes ortae sunt: *perseveraretne an abiret satis incerto (Feh Bb), utrumne perseveraret an abiret satis certo (Fdfi), utrumne perseveraret an abiret non satis certo (Fg)*. III, 10, 10 *P* cum *BFLV* (item *Fbch*) exhibent: *sed Persarum moratores erant*, in reliquis codicibus legitur: *sed Persarum exploratores erant*. VIII, 14, 11 recte in *P* et in *BFLV* (item in *Fb*) haec leguntur: *et deseruisse gestantis militare flagitium habebatur*, sed in codicibus interpolatis *gestantis* depravatum est vel in *gestantes (Fdgi)* vel in *gestantem (Fc V2)* vel in *egestatem (Feh)* vel in *maiestatem (Bb)*. VIII, 7, 19 (ubi optime ex Ieepii coniectura editur *ingens vis militum inter quos erant Graeci Dioxippo studebant*) codices *BFLV* et *P* exhibent *hic* pro *vis*, codices interpolati vel *ingens hic militum convenerat multitudo inter quos erant Graeci qui Dioxippo stadebant (Fdi)* vel *ingens hic militum turba inter quos erant Graeci qui Dioxippo favebant convenerat (Fe)* vel *ingens hic militum turba inter quos erant Graeci qui Dioxippo favebant (Ffh Bb V2)* vel *ingens hic militum turba inter quos erant Graeci qui Dioxippo studebant (Fc)* vel *ingens hic militum multitudo inter quos erant Graeci qui Dioxippo studebant (Fg)*. denique commemoro in codice Parisino deesse additamenta illa ex Iustino Curtio obtrusa III, 11, 16. 21. 12, 21, quae codicibus interpolatis adhaerent, ab integris absunt. ex his quae dixi satis, opinor, adparet codicem Parisinum et interpolatione carere et a ceteris quibus notae marginales unius familiae notam inprimunt esse segregandum.

Quae cum ita sint, facile intellegitur rationem quae in verbis Curtii emendandis hucusque sequenda erat codice Parisino prorsus mutari: archetypi enim codicis scriptura iam non efficitur

solis codicibus *BFLV*, sed ubique lectiones codicis Parisini cum eis melioris familiae conferendae sunt. atque ubi consentiunt non dubium est, quin eadem in codice archetypo exarata fuerint: ubi autem dissentiunt considerandum est, quid sequendum videatur, qua in re ratio et sententiarum et sermonis latini et maxime usus scriptoris habenda est. quae si recte disputata sunt, iam haud paucis locis verba Curtii aliter sunt constituenda. ac primum verba quae in *BFLV* desunt, in codice Parisino extant in textum sunt recipienda, nam aliena manu in codice Parisino addita esse non possunt, cum nulla prorsus addendi causa fingi queat. scribemus igitur III, 2, 18 in oratione Charidemi Atheniensis: *expetet poenas consilii mei spreti* is *ipse contra quem tibi suasi* (a Zumptio secundum *BLV is* omittitur); III, 13, 12: *inter quas* tres *fuere virgines, Ochi qui ante Dareum regnaverat filiae* (Zumptius cum *BFLV tres* delevit); V, 2, 16 *Xenophilo arcis cura mandata est* mille *Macedonum aetate gravibus praesidere arcis custodiae iussis* (vulgo *mille* secundum *BFLV* omittitur, sed cum in codice Parisino *go Macedonum* extet, recte Modium *mille Macedonum* scripsisse puto: vereor enim, ne *go* ex nota ∞ ortum sit); VII, 1, 38 *Gorgiam* et *Hecataeum et Gorgatan quorum bona opera uteris inde perduxi* (vulgo secundum *BFLV* editur *Gorgiam Hecataeum*. accedit quod haec dicendi ratio sermoni Curtiano magis convenit: Curtius enim consuetudinem meliorum scriptorum latinorum qui — ut praeter alios docuit Madvigius ep. ad Orell. p. 39, opusc. acad. I p. 333 sq., ad Cic. de fin. III, 20, 56 p. 562 — in enumeratione trium pluriumve membrorum una serie et aequo gradu coniunctorum vel repetita coniunctione copulativa utuntur vel ubique eam omittunt vel extremum membrum *que* particula adnectunt sequi solet, cum in magna exemplorum frequentia tres tantum loci ab hoc usu abhorreant: III, 8, 12 *Atheniensium deinde, Rhodiorum et Chiorum legatos audit*, VII, 7, 9 *Hephaestio, Craterus et Erigyius erant admissi*, VIII, 6, 9 *per hos adiecti sunt Anticles, Elaptonius et Epimenes:* duo autem loci VII, 8, 17 *iugum boum et aratrum, sagitta, hasta, patera*, et VIII, 6, 9 *Nicostratum, Antipatrum Asclepiodorumque et Philotan* hic non adferendi sunt, quoniam in eis duo vocabula coniunctione copulativa artius coniuncta unum quasi membrum efficiunt (cf. Muetzell. ad Curt. III, 12, 27 p. 154), neque magis huc pertinent III, 9, 7 *Coenos et Perdiccas et Meleager* et *Ptolomaeus et Amyntas*, V, 3, 3 *cum VIIII milibus*, VIII, 14, 10 *peditem ac sagittarios* et *tympana pulsare solitos*, quibus locis coniunctio rectissime iandudum addita est); VII, 7, 32 *equorum velocitati par* est *hominum pernicitas* (Zumptius cum *BFLV est* delevit); VII, 8, 10 *quidam eorum sapientiam* quoque *capere dicuntur* (vulgo secundum *BFLV quoque* omittitur); VII, 9, 16 *sed Macedonas ira longius provexit: quippe media fere nocte* in castra *redierunt* (in vulgatis exemplaribus secundum *BFLV in castra* verba desunt); VII, 11, 8 *vobiscum, inquit, o iuvenes et mei aequales, urbium invictarum ante* me *munimenta superavi* (vulgo cum *BFLV me* omittitur); VIII, 1, 30 *pendebant ex auribus insignes candore* ac *magnitudine lapilli* (vulgo ex Italorum coniectura scribitur *candore* et *magnitudine BFLV* codicibus particulam copulativam omittentibus: iam praeferenda est,

opinor, *ac* coniunctio quam Modius olim restituebat); x, 7, 18 *multisque vulneratis tandem seniores demptis galeis, quo facilius nosci possent, precari* eos *qui cum Perdicca erant coepere, ut absisterent bello regique et pluribus cederent* (vulgo ex auctoritate *BFLV eos* deest). deinde aliquot locis lectio codicum *BFLV* ferri potest, sed scriptura codicis Parisini praestat: in hac dissensione iam codicem Parisinum sequemur. veluti III, 7, 21 in descriptione oraculi Hammonis vulgo haec eduntur secundum codices *BFLV: prima munitio tyrannorum veterum* [*veterum* scribendum esse coniecit Sebisius ex auctoritate Diodori qui XVII, 50 haec habet *καὶ ταύτης ὁ μὲν πρῶτος περίβολος ἔχει τῶν ἀρχαίων δυναστῶν βασίλεια*, in codicibus legitur *veterem*] *regiam clausit: in proxima coniuges eorum cum liberis et pelicibus habitant: hic quoque dei oraculum est: ultima munimenta satellitum armigerumque sedes erant:* sed in codice Parisino *habitabant* extat, quae forma recipienda erat, quoniam neque praesens tempus cum imperfecto quod sequitur *erant* bene congruit et imperfectum in hac re poni solet: cf. V, 6, 15 *incolae qui sparsis tuguriis habitabant cum se collibus inviis saeptos esse credidissent, ut conspexere hostium agmen, interfectis qui comitari fugientes non poterant devios montes et nivibus obsitos petiverunt*[18]) et V, 1, 27 *per*

---

18) hoc enim modo verba Curtii scribenda sunt: vulgo ex codicum auctoritate *callibus* pro *collibus* legebatur, quam scripturam editores adhuc tulisse miror. nam licet ager callibus saepiri vel finiri recte dicatur, tamen hoc loco verbi saepiundi prorsus alia est ratio: significatur videlicet barbaros tutos se credidisse, quod aliqua re custodirentur vel defenderentur, sicuti Curtius verbum usurpat VIII, 2, 20 *is armatis popularibus fauces regionis, qua in artissimum cogitur, validissimo munimento saepserat* et VI, 5, 13 *iuga montium praealtae silvae rupesque inviae saepiunt.* ex his locum corruptum esse adparet recteque me scripsisse *cum se collibus inviis saeptos esse credidissent.* saepius autem *collis* et *callis* vocabula inter se confundi notum est, eadem apud Curtium quoque inter se confundi exemplis probare possum. III, 10, 10 (in oratione Alexandri qua Thracum Illyriorumque animos ante pugnam Issicam firmat) haec et in codicibus et in editionibus leguntur: *aspera montium suorum iuga nudasque calles et perpetuo rigentes gelu ditibus Persarum campis agrisque mutarent:* opponuntur igitur uberibus Persarum campis Illyriorum et Thracum steriles montes: tum vero mirum est, quod hoc loco calles commemorantur, magisque mirum, quod nudae et perpetuo gelu rigentes dicuntur: quid enim nocent nudae calles? sed cave ne eius modi ineptias a Curtio profectas esse credas: is enim scripsit *nudosque colles* qui rectissime ditibus Persarum agris opponuntur. porro III, 9, 22 Zumptius e codicibus omnibus restituit: *sic Granicum tot milibus equitum peditumque in ulteriore stantibus ripa superavit, sic angustis in Ciliciae collibus tantam multitudinem hostium.* sed cum ab aliis scriptoribus tum ab ipso Curtio (cf. Muetzell. ad III, 7, 8) traditum est pugnam apud Issum non in collibus, sed intra colles in angustiis esse commissam atque scriptor aliis locis de eadem re dicens semper *callis* vocabulo utitur veluti III, 13, 6 *non in Ciliciae angustiis et inviis callibus, sed in aperta et lata planitie dimicare* et III, 4, 5 *tunc paucis qui callibus praesiderent relictis.* unde satis, opinor, patet etiam hoc loco scribendum esse *angustis in Ciliciae callibus.* errant autem qui putent *calles* idem fere ac *saltus* significare (cf. Heyn. ad Verg. Aen. VIII, 381 *accipio calles de toto illo dumoso tractu qui erat pervius):*

LXXX stadia habitabatur: nam non recte Zumptius hic codicum optimorum lectionem sprevit restituitque *habitatur:* verbum enim *habitabatur* non cum verbis quae secuntur *nec omnia continua sunt* coniungendum est, sed haec sententia reliquae orationi media est interposita, quod dicendi genus et apud Curtium et apud alios scriptores maxime inde a Livio saepius invenitur (cf. Drakenborch. ad Liv. XL, 57, 3), rectiusque coniunguntur haec: *ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt nec omnia continua sunt.* porro VI, 7, 26 (ubi agitur de Cebalino coniurationem Dymni detegente) *atque illo fatente iam tertium* (sc. *diem*) *esse existimans haud incorrupta fide tanto post deferre quae audierat vinciri eum iusserat. ille clamitare coepit eodem temporis momento quo audisset ad Philotan decurrisse: iusserat* Zumptius ex codicibus *BFLV* restituit pro vulgata lectione *iussit* quae in codice Parisino quoque adparet. at plusquamperfectum quamquam cum Zumptio explicari potest 'iusserat quidem, sed mox se revocavit', tamen parum iucunde orationem rumpit: quam ob rem ad vulgatam lectionem redeundum esse puto, ni forte praestat scribere (id quod iam Itali suspicati sunt, non is qui codicem Vossianum primum exaravit): *iussit. at ille clamitare coepit:* potest enim in codice Parisino *at* post *iussit* excidisse et *iusserat* in *BFLV* ex *iussit at* ortum esse. similiter in codicibus *BFLV* et in codice Parisino tempora differunt VII, 9, 22: ibi Zumptius cum *BFLV* edidit: *itaque ut omnes qui defecerant pariter belli clade premerentur copias dividit urique agros et interfici puberes iussit.* sed hic perfectum cum praesenti tempore iunctum orationem nimis duram reddit: quam duritiam vitamus, si ex codice Parisino *iubet* scribimus. contra VII, 3, 22 perfectum propter eundem codicem praeferendum esse puto: *XVII dierum spatio Caucasum superavit exercitus: rupes in eo X in circuitu stadia conplectitur, IIII in altitudinem excedit, in qua vinctum Promethea fuisse antiquitas tradidit:* vulgo ex codicibus *BFLV* editur *tradit.* porro hic adferendi sunt ii loci quibus alter codicum ordo in declinatione graecam formam, alter latinam exhibet: eum autem recte rem agere arbitror qui ubique graecam qua Curtius maxime delectatur restituat. scribemus igitur cum codice Parisino *Macedonas* VII, 4, 33, VII, 6, 6, VIII, 4, 27; III, 1, 28 *Satacen* vel rectius secundum Diodor. XVII, 34 *Tasiacen,* III, 8, 2 *Memphin,* VI, 5, 32 *Parthienen,* VI, 9, 30 *Philotan,* VI, 11, 26 *Perdiccan,* VII, 5, 21 *Catenen,* VII, 5, 36 *Tanain,* VII, 6, 12 *Tanain,* VII, 6, 19 *Perdiccan,* VII, 6, 25 *Tanain,* VII, 8, 22 *Tanain,* VIII, 2, 16 *Amyntan,* VIII, 2, 27 *Sisimithren.* restabunt quidem haud pauci loci quibus res diiudicari non potest, cum et lectio a codicibus *BFLV* tradita et lectio codicis Parisini recte se habeat neque ulla causa adsit, cur alteram alteri praeferamus. hic primum nominandi sunt loci quibus uterque codicum ordo aliam eiusdem vocis formam praebet. itaque disceptabimus, utrum scribendum sit III, 14, 14 *nil* cum *BFLV* an *nihil* cum *P*[19]); III, 1, 3 *dein BFLV* an *deinde P;* V, 8, 12

---

calles sunt potius angustae semitae quibus animalia ire solent, ut docent Serv. ad Verg. Aen. III, 405 *callis est semita tenuior callo pecorum praedurata* et Isid. orig. XV, 16 *callis est iter pecudum inter montes angustum et tritum.*

19) longior forma in textum recipienda esse videtur, cum Curtius contracta forma rarissime

ni BFLV an *nisi P;* v, 6, 6 *ante BFLV* an *antea P;* vi, 8, 15 *uti BFLV* an *ut P;* v, 3, 19 *velut BFLV* an *veluti P;* vii, 2, 36 *alioquin BFLV* an *alioqui P;* vi, 3, 15, vii, 1, 28, vii, 1, 30, viii, 2, 15 *hercule BFLV* an *hercules P*[20]); v, 8, 10 *mehercule BFLV* an *mehercules P;* iii, 15, 26 *paululum BFLV* an *paulum P*[21]); viii, 5, 4 *laminis BFLV* an *lamnis P*[22]); vii, 11, 7 *consueverant BFLV* an *consuerant P*[23]); viii, 4, 14 *deprehenderant BFLV* an *deprenderant P;* iii, 4, 1 *percurriset BFLV* an *percucurrisset P;* viii, 1, 3 *percucurrisset BFLV* an *percurrisset P;* viii, 2, 19 *incurrerunt BFLV* an *incucurrerunt P*[24]);

---

utatur: legitur enim *nil* quod sciam uno tantum loco vi, 3, 11 (nam ad auctoritatem codicum Parisini et Leidensis quos in editione mea solos laudavi accedunt Bernensis et Florentinus, qui consensus non spernendus est).

20) falso Zumptius (in adn. ad vi, 10, 20) Curtium *hercules* forma usum esse negavit atque adeo a se ipse descivit, ut x, 3, 9 omnibus codicibus consentientibus *hercules* ederet: moneo autem vi, 3, 15 in codice Parisino *s* finale nunc erasum esse.

21) *paulum* fortasse praeferendum est, cum *paululum* forma Curtius omnino abstinuisse videatur: nam reliquis locis quibus in vulgatis exemplaribus *paululum* edebatur (iii, 6, 19. iii, 2, 21, vii, 7, 15) ex auctoritate omnium codicum integrorum *paulum* restituendum est.

22) de hac voce iam supra p. 8 dixi, ubi formam quae est *lamna* consentientibus codicibus optimis iii, 11, 15 Curtio reddendam esse docui.

23) Curtius longiorem formam videtur praetulisse: haec enim, si recte enotavi, sexies (iii, 12, 2. iii, 13, 18. v, 4, 14. viii, 12, 16. viii, 1, 32. 1, 36) legitur, brevior semel. idem valet de verbo quod sequitur *deprehenderat:* quamquam sexcentis locis *prehendendi* verbum eiusque composita in Curtii historiis inveniuntur, tamen duobus tantum locis (vi, 13, 20 et vii, 11, 24) codices breviorem formam tuentur.

24) reduplicationem in conpositis *currendi* verbi servari posse patet ex Priscian. inst. x, 8, 43 (p. 533, 2 ed. Hertz.): *curro etiam repetita priori syllaba 'cucurri' facit praeteritum, quod in compositione invenitur apud quosdam auctorum geminationem primae syllabae servans, apud alios autem minime, ut Virgilius in* iiii *Aeneidos* [*vs.* 153]:

'decurrere iugis, alia de parte patentes
transmittunt cursu campos.'

Livius xxii *ab urbe condita* [4, 6]: *'qua cuique proximum fuit, decucurrerunt.' idem in* xxv [11, 3]: *'et si ferocius procucurrissent.' Cato contra Gaium Pisonem* [*ap. Jordan. Caton. rell. orat. fragm.* xlv *p.* 60]: *'video hac tempestate concurrisse omnes adversarios.' Terentius in hecyra* [iii, 3, 11 *vs.* 371]:

'una illarum interea propere praecucurrit.'

Caesar ad Virgilium [*ap. Weichertum Imp. Caes. Aug. scriptor. rell.* i *epp. fr.* 27 *p.* 159]: *'excucurristi a Neapoli.' Plautus in Sticho* [ii, 2, 67 *vs.* 395]:

'praecucurri, ut nuntiarem nuntium exoptabilem.'

neque Curtius reduplicata forma prorsus abstinuit, nam vi, 3, 16 omnibus codicibus consentientibus legitur *transcucurrimus.* iam cum in repetita syllaba *cu* altera facile a librario omissa esse possit, ubicumque altera codicum familia reduplicatam formam tuetur, eam restituendam esse persuasum mihi est.

VI, 10, 17 *sese FLV* an *se P*[25]) VI, 11, 3 *omnes BFLV* an *omnis P;* III, 5, 20 *postera die BFLV* an *postero die P;* VI, 8, 12 *toto die BFLV* an *tota die P.* deinde huc pertinent loci quibus verborum conlocatio in utraque codicum familia diversa est: III, 6, 12 *modo maxime BLV* an *maxime modo P;* III, 10, 1 *rex stativa BFLV* an *stativa rex P;* V, 11, 11 *se perire sero BFV* (in *L* desunt *se perire)* an *sero se perire P;* VI, 7, 34 *interemerit semet BFLV* an *semet interemerit P;* VIII, 5, 14 *peregrinos externosque ritus BFLV* an *peregrinos ritus externosque P*[26]); VIII, 13, 10 *erat facies BFLV* an *facies erat P;* VIIII, 7, 24 *aures regis BFLV* an *regis aures P;* VIIII, 10, 29 *satrapes Aspastes BFLV* an *Aspastes satrapes P*[27]); X, 7, 2 *merito suo BFLV* an *suo merito P.* denique hic adferendi sunt loci quales sunt VI, 9, 28 *inclinatam ad misericordiam contionem BFLV, inclinantem ad misericordiam contionem P;* VI, 9, 31 *dicendi prius causam debere fieri potestatem BFLV, dicendae prius causae debere fieri potestatem P;* VII, 1, 32 *haec mihi cum Antiphane res erat BFLV, hic mihi cum Antiphane res erit P;* VII, 10, 10 *III milia BFLV, IIII milia P;* VII, 11, 3 *fontes per totum fere spatium manant BFLV, fontes per totum fere specum manant P;* VIII, 1, 4 *in silvis quae erant forte campo*

---

25) Zumptius quamquam recte dixit (in adnot. ad VIII, 9 (32) 23) Curtium *semet* forma delectari, tamen *sese* formae non tam rarus usus est quam ille voluit: nam praeter locum in adnot. indicatum (VIII, 13, 2) *sese* legitur etiam his locis III, 8, 28. 12, 11. V, 3, 13.

26) verborum conlocationem quam codex Parisinus tuetur ab usu scriptoris non abhorrere docent hi loci: III, 4, 7 *asperi tres aditus et perarmati,* III, 8, 1 *praecipua spes et propemodum unica,* III, 8, 3 *ancipitem fidem et mercede venalem,* III, 8, 10 *terribilem antea regem et absentia sua ad vanam fiduciam elatum,* III, 10, 10 *nudos colles et perpetuo rigentes gelu,* IIII, 1, 30 *Aegyptii vana gens et novandis quam gerendis aptior rebus,* IIII, 6, 3 *Bactriani horridis ingeniis multumque a Persarum luxu abhorrentibus,* IIII, 6, 3 *Scytharum bellicosissima gente et rapto vivere adsueta,* V, 3, 12 *occulto itinere ignotoque hostibus,* V, 6, 15 *devios montes et nivibus obsitos,* VI, 7, 6 *fortibus viris et inlustribus,* VI, 9, 2 *fortissimis viris et de me optime meritis,* VIII, 13, 13 *nobiles iuvenes et perpetua partium felicitate ad spernendum omne periculum accensi,* VIIII, 2, 30 *aversos animos et infractos,* VIIII, 4, 26 *avios montes et inpeditos,* X, 7, 11 *nullum vastum fretum et procellosum.* similiter adiectivum vel pronomen ad duo substantiva pertinens post prius substantivum conlocatur: V, 5, 8 *urbes suas coniugesque,* V, 11, 8 *fortunae tuae et vitae.* eundem usum invenimus in conlocatione sive duorum genetivorum uni substantivo iunctorum (III, 1, 17 *et Phrygum turba et Macedonum*) sive unius ad duo substantiva pertinentis (IIII, 15, 29 *cognati Darei et armigeri,* V, 1, 23 *supellectilem Darei et omnem pecuniam,* V, 12, 17 *pecunia regis et supellex,* VIII, 1, 21 *fidei eius tutelaeque,* VIIII, 7, 15 *legatis gentium regulisque,* X, 1, 4 *avaritia eorum ac libido*). optime autem elegans haec verborum conlocatio cum Curtiana dicendi ratione congruit.

27) hoc loco lectio codicis Parisini videtur praestare, cum nomen appellativum nomini proprio postponi soleat, cf. VIII, 9, 14 *Erythro rege,* VIIII, 8, 9 *Teriolte satrape,* VIIII, 8, 13 *Sambi regis,* X, 1, 13 *Erythro rege.*

iunctae BFLV, in silvis — et erant forte campo iunctae — P[28]); VIIII, 6, 24 *quae nondum attigimus BFLV, quae nondum adiimus P;* VIIII, 9, 6 *quam procul abesset mare BFLV, quam procul abessent mari P;* VIIII, 10, 19 *et CCC equitibus BFLV, et CCCC equitibus P.* his igitur locis, quid sequendum sit, in dubio relinquemus. at fortasse is verum adsequetur qui ubique codicis Parisini lectiones praefert: nam, ut hic, quid sentiam, ingenue profitear, codex Parisinus melioris generis deterius exemplum, archetypon autem codicum *BFLV* deterioris generis melius exemplum repraesentare mihi videtur.

Dolendum autem est, quod alterius ordinis unum codicem nunc habemus, cum hoc modo non accurate dignosci possit, quot errores iam codex archetypus sibi vindicet, quot librarii neglegentia. nam complures codices huius ordinis quondam extitisse veri simillimum est. supersunt enim ex aliquot codicibus nunc deperditis paucae schedae quarum lectiones a codicibus *BFLV* recedunt et cum codice Parisino conspirant. primum hic adferendum est fragmentum Herbipolitanum *(H)* saec. X scriptum quod Curtii VIII, 1, 3—6 et 10—14 continet cuiusque lectiones post Zumptium (in append. ed. ad VIII, 1, 4) accuratius Schneidewinus (in Philol. V p. 377) cum hominibus doctis communicavit: hoc cum codice Parisino exhibet et § 4: *in silvis — et erant forte campo iunctae — (BFLV: in silvis quae erant forte campo iunctae)* et § 5: *in ea consederant (BFLV: in eam consederant).* deinde huc videtur pertinere fragmentum Darmstadiense *(D)* quod Zumptius ipse Darmstadii inspexit (cf. praef. ed. alt. p. X) cuiusque varietatem scripturae in editione enotavit: vereor enim, ne Zumptius III, 2, 14 falso rettulerit in hoc fragmento extare *ex interiore parte* pro *ab exteriore parte* quod in codice Parisino legitur, cum *BFLV* recte *ab interiore parte* exhibeant, ut omnino ille homo doctus minime accurate de hac scheda dixit, ita ut nesciamus, et quando fragmentum scriptum sit et quae verba conplectatur. de tertio autem fragmento in coenobio Einsidlensi adservato cuius mentionem iniecit O. Iahnius (in diar. stud. antiqu. dest. MDCCCXXXVIII p. 1052) dicere non possum, quoniam accuratiorem eius notitiam adipisci mihi nondum contigit: sine dubio est idem cuius conlationem penes A. Koechlyum esse A. Hugius narrat (in Mus. Rhen. XX p. 117).

---

28) scripturam codicis Parisini optime se habere recte docuit A. Eussner (in libello admodum laudabili qui inscribitur *specimen criticum* p. 9) conlatis his locis III, 11, 13 *et forte in illud cornu omnes fuga abstulerat* et VIII, 14, 1 *et ita convenerat.* inest videlicet in *et* particula his locis non simplicis copulae vis, sed sententiam quae praecedit firmat vel explicat. inveniuntur autem huius modi enuntiata per *et* particulam sive adiuncta sive media interposita etiam apud alios scriptores haud raro: cf. Kritz. ad Sall. Cat. 19, 2. Jug. 52, 3. Walch. in emend. Liv. p. 65 sq. Fabri. ad Liv. XXIII, 1, 6.

29) schedae Vindobonenses (CCCCXCII. hist. prof. DCXXII) continent Curtii verba X, 8, 22 *id inpetratum est* usque ad finem et sunt quaternio XVIII codicis qui omnes octo libros qui supersunt historiarum Curtii olim videtur conplexus esse: is saeculo decimo in membranis formae quadratae satis eleganter scriptus est. paginarum versus sunt viceni. fuit vero saec. XV hic codex *liber monasterii sancte dorothee in wienna,* ut fol. VII *vs.* in imo margine adnotatum est. Curtii historias fol. III *vs.* finitas secuntur ab eadem manu exaratae PROPHETIAE METHODII.

porro in eadem familia ponendas esse schedas Vindobonenses *(S)* [29]) persuasum mihi habeo, propterea quod ab his notae marginales absunt. itaque etiam in fine historiarum Curtii ubi codex Parisinus lacer est iam habemus alterius ordinis codicum optimorum testem lectionesque harum schedarum eodem modo quo codicis Parisini diiudicandae sunt. item ex codice huius familiae descripta esse videntur excerpta Rheinaugiensia *(R)* quae saec. VIII exarata et nunc Turici adservata Hugius (in Mus. Rhen. XX p. 117) primus in lucem protulit. continent haec excerpta Curtii verba VII, 8, 12—20 et VIII, 7, 3—10, 2 atque haud paucis locis a lectione codicum *BFLV* recedunt remque cum codice Parisino faciunt, veluti VII, 8, 16 *bovem PR, boves BFLV.* VII, 8, 18 *isdem PR, iis* vel *his* vel *hiis BFLV.* VII, 8, 30 *habebis PR, habes BFLV.* VIII, 7, 7 *iussit PR, dicere iussit BFLV.* VIII, 7, 11 *relaturi sint, PR, relaturi sunt BFLV.* VIII, 8, 19 *nam cum PR, nam tuum cum BFLV.* VIII, 8, 21 *utquaquam aulae et adsentantium PR, haudquaquam male adsentantium BFLV.* VIII, 9, 31 *genus est PR, genus BFLV.* aliquotiens sane mirum in modum ab utroque codicum optimorum ordine recedunt: sic exhibent VII, 8, 18 *sic greciae scithiae regem,* codices optimi: *sic scithiae regem.* VII, 8, 21 *Sogdiani rebellare coeperunt,* codd. opt.: *Sogdiani bellare coeperunt.* VII, 8, 26 *sin homo es, id quod semper esse te cogita. stultus est eorum meminisse,* codd. opt.: *sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. stultum est eorum meminisse.* VII, 8, 28 *cave ne credas,* codd. opt.: *cave credas.* VIII, 8, 3 *hoc et oportet cum fieri et a tutoribus pupilli,* codd. opt.: *hoc et oportere fieri et ut a tutoribus pupilli.* VIII, 9, 32 *expetitam mortem pro decore vitae habent,* codd. opt.: *expectatam mortem pro dedecore* [*P: decore*] *vitae habent:* qui loci interpolationem sapiunt. fortasse Modii codex Coloniensis *(Mc)* quoque eiusdem familiae erat, quoniam Modius saepius ex membranis suis quarum optimae erant Colonienses ex Metropolitana ecclesia (cf. praef. p. 3) Curtii verba eo modo immutat quo in codice Parisino adparent. sed certo id adfirmari non potest, quod Modius secundum illius aetatis morem varietatem scripturae minime adcurate adfert. denique hic nominandi essent codices interpolati Zumptiani Flor. *DFGI* qui propter multas lectiones cum codice Parisino communes ex codice eiusdem ordinis descripti esse videntur, nisi codices interpolatos coniungere et in tertio ordine ponere praestaret: id quod mihi veri simillimum est propter quosdam errores qui codicibus interpolatis omnibus — praeter Flor. *B* quem ex codice Bernensi *A* descriptum esse iam supra dixi — adhaerent.

Iam quo facilius percipiantur quae de codicum origine et de ratione quae in Curtii verbis emendandis sequenda sit dixi, cognationis tabulam subiciam: